

Je
3485

1/10 96.
6/20



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

c 96.
Lbd. 20.

11.1.1872



DISPUTATIO INAUGURALIS THEOLOGICA,
SYNCRISIN
ADAMI PRIMI ET SE-
CUNDI,

Occasione dicti II. Cor. V, 21. exhibens:

Quam
D. O. M. A.

EX DECRETO VENERANDI COLLEGII THEOLOGICI,
IN ALMA FRIDERICIANA HALLENSI,
PRÆSIDE

VIRO maximè Reverendo, Amplissimo, ac Excellentissimo,
DN. JOACH. JUSTO
BREITHAUPT,
S. THEOL. DOCTORE & PRO-
FESSORE PUBL. SEMIN. THEOL. DIRECTORE,
& CONSILIARIO DUCAL. MAGDEBURGICO
gravissimo ac meritissimo,

Domino, & Promotore suo ætatem devenerando,
Pro supremis in Theologiâ Honoribus, Juribus ac Privilegiis,
ritè consequendis,

Solenni disquisitioni exponet
M. GOTOFREDUS WEGNERUS;
OLSENAS, Ecclesiastes Francofurtanus.

In Auditorio Publico Maj.
Ad Diem XX. Junii ANNO M. DC. XCIV.
Horis Ante- & Pomeridianis.

Imprimebat TOBIAS SCHWARTZ, Typogr. F.

DIPLOMATI... THEOLOGICA
SYNGRISIN
ADAMI PRIMI ET SE.
CICLI.

Occasione diei II. Cor. V. et. ex. h. m. s.

D. O. M. A.
IN A. M. A. T. I. D. I. C. T. A. N. A. H. A. L. L. E. N. S. I.
P. R. A. E. S. I. D. E.

PRO...
D. M. J. O. H. A. N. N. E. S. T. U. S.
B. R. I. T. A. N. I. C. I.
S. T. H. E. O. L. O. G. I. C. I.
P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. S. I. N. T. H. E. O. L. O. G. I. C. A.
& C. O. N. S. I. L. I. A. R. I. O. P. H. I. L. O. S. O. P. H. I. C. A. E. T. H. E. O. L. O. G. I. C. A.



Domino...
Solemn...
M. G. O. T. T. F. R. I. E. D. U. S. W. E. G. N. E. R. U. S.
O. S. E. N. A. S. I. E. C. C. L. E. S. I. A. E. P. A. R. I. S. I. E. N. S. I. S.
A. N. D. R. E. A. S. I. E. N. S. I. S. P. A. R. I. S. I. E. N. S. I. S.
A. D. D. I. E. M. X. X. J. u. n. i. A. n. n. o. M. D. C. X. C. I. V.

...



Per-illustribus & Generosissimis
Dominis,

DN. PAULO DE FUCHS,
Serenisf. ac Potentisf. Electoris
Brandenburg.

Consiliario & Ministro status intimo,
Rerum Feudalium Directori, Toparchæ
in Malchovv & Heinersdorff,

DN. DANIELI LUDOVICO
DE DANCKELMANN,
Serenisfimi ac Potentisf. Electoris
Brandenburg.

Consiliario intimo ac Ministro status,
Supremo item Militiæ Electoralis Com-
missario, & Academiae Fridericianæ
Curatori &c.

Dominis suis gratiosissimis humillimo obsequii
cultu venerandis,

Inauguralem hanc Disputationem devotè sacram cupit,
A U T O R.

Postu-



Ostulavit superioribus diebus ACADEMIA FRIDERICIANA à me specimina quædam Theologica, in quibus Disputatio præsens, quâ *Syncretisim primi & secundi Adam*, ductu S. Scripturæ, exhibui, publicè, ex decreto Venerandi Collegii Theol. habita, & in illustri ac frequenti admodum Auditorio, ventilata est. Prima est Inauguralis Disertatio in Facultate Theologica, quam Vobis, *Perillustres Viri*, qui primi estis hujus Academiæ Curatores, & Literatorum Mœcenates, primus ego Theologiæ Candidatus in hac Academiâ, offero, partim ut signum mentis humillimæ, quâ Vestras Splendidissimas virtutes, ac summa in Rempub. merita veneror, partim ut incentivum, quò me habeatis Vobis commendatum, meaq; studia, quibus Ecclesiæ, & Juventuti studiosæ inservire, desidero, gratiâ ac favore dignari velitis. Valete, diutissimè bono publico, ac Vestrorum, incolumes ac florentes servati.

*Vestrorum perillustrium & generosiss.
Nominum*

Cultor ac Cliens
devotissimus

M. G W.



I. N. D. N. J. C.

ADAM, *primus* à DEO Creatore factus homo, cum typus dicitur *futuri Adami*, qui Dominus noster JESUS CHRISTUS est, Rom. V, 14. non in eo significato id fit, quò aliàs typi V. Test. accipiuntur, pro *figuris & imaginibus rerum futurarum*, quales ibi plurimæ reperiuntur, quæ ad Christum Salvatorem, in N. Test. exhibendum, respexerunt, eumq; in actionibus, vitâ, passione, morte, & subsequente gloria, præfigurarunt. *Nam uti Christo Mediatore opus non fuisset in statu integritatis, ita nec typo Christi ibi locus erat; in lapsu verò & consequentibus ejusdem tanto minus typus Christi constitui potest, propriè ita dictus, quantò magis disparata illa sunt, Adami culpa & mortis pœna, & Christi justitia ac vitæ donum, Rom. 6. ult. docente B. D. CALOVIO Bibl. illustr. annot. ad Rom. p. 95. Neq; typus Paulo c. I est figura, sive exemplar, ad quod aliud plenius efficitur, uti GROTIUS in annotat. ad h. l. arbitratur, & aliàs hoc sensu occurrit, Actor. VII, 43, coll. cum Exod. XXV, 40. Quamvis enim inter utrumq; Adamum primum & ultimum, etiam similitudo eò in loco occurrat; attamen pro scopo Apostoli, in collatione utriusque, magis dissimilitudo, & aliud quid, sed planè contrarium, quod in imaginibus ac figuris aliâ imitatione exprimendis contingere non solet, hîc deprehenditur. Minimè omnium PELAGII significatio locum habet, qui vocem hanc ad imitationem traxit, & inde conclusit: Adam fuit typus, figura, exemplar: Ergò tantùm exemplar peccati mundo præbuit. Nam ille mentem Apostoli hac ratione pervertit: Utpote qui non dicit, Adam fuisse typum peccati, sed Christi. Christus autem sicut non modò exemplar, sed & autor fuit justitiæ ac vitæ: Ita Adam non modò exemplar, sed autorem quoque peccati & mortis fuisse, consequitur. Errat verò GROTIUS, quando c. I. ad vers. 15. scribit: *Hoc vult dicere Apostolus: In Neutro (Adamo primo & secundo) quidem quicquam iniqui, sed tamen Deo convenientius esse, unum facere vitæ auctorem,*
A quam*

SYNCRISIS ADAMI

quam unum mortis. Nam Deus nullo modo auctorem mortis fecit, neq; voluit aut fecit, ut Adá autor mortis esset, quia ipsum immortalē atqve ad suam imaginem creavit, ad vitam beatam, non ad mortem, vel ut mortis autor esset. Verùm id vult Apostolus, quando Adamum typum futuri fuisse scribit, dari ex DEI instituto atq; consilio, inter Adamum & Christum mutuam aliquam correspondentiā & σύγκρισιν sive collationem, sed quæ in analogia potius, quam in similitudine consistat. Unde v. 15. mox limitat analogiā illam typi & antitypi, ac si diceret: Adam est typus Christi, non quod omnia habeant similia aut paria; sed conveniunt quādamtenus, sic ut Adam à Christo multis partibus superetur. Unde ORIGENES scribit in h. l. *juxta genus est similitudo, juxta speciem repugnantia.* Nihilominus tamen, cum typus alius sit *innatus*, & quidem vel expressè & explicitè, vel tacitè & implicitè, quem scilicet Scriptura expressè ostendit, vel tacitè insinuat: alius *illatus*, quem Scriptura quidem non ostendit, probabili tamen cum analogiā conjunctus est, atq; cum fidei analogia, & re ipsā consentit: ideò licebit, saltem in generaliori significato, Adamum quoq; Christi typum constituere, ac inter utrumq; similitudinem, quæ in Scripturâ fundamentum habet, demonstrare. Idq; nunc, occasione effati Apostolici, tentabimus, quod 2. Corinth. 5, 21. his verbis continetur: *Τὸν γὰρ μὴ γνόντα ἁμαρτίαν, ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, ἵνα ἡμῖς γενώμεθα δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ.* *Eum enim, qui non novit peccatum; pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia DEI per illum.* Suppeditat hic locus egregias, & accuratiore consideratione dignas meditationes de toto Reconciliationis nostræ mysterio; Verum hâc vice tantum, cum plenior Aphorismi Apostolici tractatio modulum disputationis excedat, collationem inter utrumq; Adamum instituemus, & cum Divus Paulus analogiam utriusq; præcipuè ostendat in dispari & inæqualitate, nos utriusq; analogiam in pari aut simili demonstrabimus, in primis verò *utrumq; esse justum & sanctum, utrumq; peccatorem, sed ultimum primo majorem esse.* Idque ut ordine fiat, & justa methodo, certis Aphorismis rem totam includemus, eosque breviter ex Scripturâ illustrabimus. Faxit DEUS, ut cum fructu fiat, in ejusq; laudem & gloriam! APHO.

APHORISMUS I.

ADAMUS primus rectus & integer, justus & sanctus à DEO creatus est, ita tamen, ut posset peccare, si vellet.

§. 1. *Adam*, nomen Hebraeum est, tum *appellativum*, quò differentia specifica hominis, quã discernitur à brutis, innuitur, Gen. 1, 26, 27. tum *proprium*, quod specialiter primo homini competit, quoq; is, seu suo proprio nomine, distinctionis causa appellatus est, 1. Chron. 1, 1. Dicitur autem est *Adam*, ab אָדָם, i. e. terra rubra, ex quã is à DEO factus & formatus est. Vocatur aliàs quoq; מוֹתָנִי i. e. propriè *mortalis*, ab *infirmi* *tate*; sed quia Deus hominem non fecit מוֹתָנִי, sed אָדָם, apparet hinc, prius illud ad conditionem præsentem, hoc verò ad originem respectum habere.

§. 2. *Primus* appellatur *Adam* duplicem ob causam. (1) Quia primus omnium hominum est, & nemo ante eum in hoc mundo extitit. Ab hoc enim Judæi & gentiles, omnesq; terræ incolæ ortum suum habent, juxta Actor. 17, 26. *Fecit Deus ex uno sanguine omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ.* Et cum ille crearetur, solus erat, nec ulli tum in his terris reperiebantur homines, è quibus ipsi adjutorium assumi potuerit, Gen. 2, 18. & 20. Unde expressè dicitur πρῶτος, *primus homo*, 1. Corinth. 15, 45. & πρωτόπλαστος, Sap. VII, 1. & πρωτόπλαστος πατήρ κόσμου μόνος κτισθεὶς, *primus Pater mundi, & qui solus creatus.* (2) Quia typus est secundi & futuri Adami, qui Christus est: voce in generaliore significato acceptã, Rom. V, 14. Prius enim in terris fuit Adam, quàm Christus, secundus homo, de cælo veniret in carnem. Unde Apostolus 1. Corinth. XV, 45 & 47. *Factus est primus homo Adam in animam viventem, & novissimus Adam in spiritum vivificantem. Primus homo de terrâ terrenus: secundus homo, ipse Dominus de cælo.*

§. 3. *Rectus* verò & *integer*, *justus* & *sanctus*, primus ille homo, à DEO creatus est. Quippe non tantum primus homo

omnis omnino labis naturalis expers; sed etiam iustitia originali, & sanctitate habituali ac naturali, præditus fuit, respuens omnem statum intermedium. Nulla erat in Adamo creatio affectuum & cupiditatum ἀταξία, nulla rationis & appetitus σύρραξις & lucta; sed summa omnium virium ac potentiarum & εὐταξία secundum se, & ἀρμονία inter se. Membra affectibus, affectus voluntati, voluntas rationi, ratio DEO obtemperabant ac subdebantur. Summa erat (ait B. D. CALOVIIUS in System. Theol. Tom. 4. de statu integr. in gen. pag. 407.) in homine omnium virium integritas, & cum lege DEI conformitas, summa omnium potentiarum harmonia, sine omni difficultate, lucta & rebellione, adeo ut totus homo letus, & beatus in DEO acquiesceret, & facillimè omne peccatum vitare, actionibusq; omnibus virtuosis, & DEO placentibus studere potuerit, si quidem nihil aut exterius, aut interius eum ad peccandum incitaret; Diaboli autem seductioni resistere, eâ, quâ pollebat scientiâ, sanctitate, & facultate satis posset, &c.

§. 4. Constat hæc primi hominis integritas & iustitia originalis (1.) ex imagine divinâ concreatâ, quam Apostolus positivè exponit; per δικαιοσύνην καὶ ὁσιότητα τῆς ἀληθείας, Ephes. IV, 24. formulâ loquendi Hebræis usitatâ, pro, iustitiâ & sanctitate verâ, in quâ homo conditus est. Nam Moses disertè scribit, Primum hominem ad imaginem DEI creatum esse, Gen. 1, 27. Et creavit DEUS hominem in imagine suâ: in imagine DEI creavit eum: masculum & fœminam creavit eos. DEUS itaq; cum sanctissimus atq; iustissimus sit, Lev. XI, 44. XIX, 2. necessum est, hominem primum, qui ad imaginem quâ simillimam DEI iustissimi & sanctissimi creatus fuit, non tantum expertem omnis labis, sed iustum & sanctum positivè fuisse, ut huic DEI imaginî similis esset. Idq; clarè & apertè asserit Apostolus Ephes. IV, 24. Unde hic locus egregium argumentum præbet, quod tanquam exegeticum, adducto addemus.

§. 5. Namq; (2.) ex renovatione hominis, quam Apostolus à peccatoribus ad salutem requirit, patet hominis primi qualitas, ad quam peccator conformari ac renovari debet. Paulus hortatur Ephes. IV, 23, 24. *Edocti estis renovari Spiritu mentis vestre, &*

PRIMI & SECUNDI.

stra, & induere novum hominem, qui juxta Deum conditus est, per
justitiam & sanctitatem veritatis. Quid autem sit, secundum
Deum conditum esse, ipse Apostolus interpretatur, nimirum, se-
cundum imaginem Dei creatum esse. Ita enim ait Coloss. III, 10.
Induentes novum (hominem) eum, qui renovatur in agnitionem
Dei secundum imaginem ejus, qui creavit eum. Jam secundum
Deum creatum esse, est in justitiâ & sanctitate veritatis creatum
esse: Justitia igitur & sanctitas vera, cum quâ & in quâ creatus
fuit primus homo, fuit imago Dei. Cujus enim respectu homo
secundum Deum, vel secundum imaginem Dei conditus est, & ad
quod renovatur, in illo imago Dei primæva sita fuit: Atqui ju-
stitiæ & sanctitatis respectu, homo secundum Deum, vel imagi-
nem Dei conditus est, & ad eandem renovatur: Ergo. B. D. Qven-
stedt in system. Theol. part. 2. p. m. 28. Cum creatus dicitur homo
secundum Deum in justitiâ & sanctitate, vel intelligitur creatio
prima, quam proprietas vocis, à quâ temerè discedendum non est,
importat, vel nova creatio. Si illa, ἡ πρώτη indicatur, in prima cre-
atione hominem conditum fuisse in justitia & sanctitate; si hæc,
διὰ νεότητός saltem idem infertur, quia homo ideò denuò creatur,
vel renovatur in justitiâ & sanctitate, quod in prima creatione
in justitiâ & sanctitate conditus fuerit. Nova creatio antiquam
respicit.

§. 6. Probatur (3) ex Natura bonitate ac rectitudine, quam
Scriptura primo homini tribuit, ut hæc sit justitia originalis,
& sanctitas inhærens. Nam Moses refert Genes. 1, 31. Vidisse
Deum cuncta, & fuisse valde bona. Et Salomon in Eccles. VII, 30.
ait: Fecit Deus hominem rectum. Jam, si omnia valdè bona fue-
runt, etiam homo omninò valde bonus fuit, propter quem omnia
facta sunt, & ad quem elogium illud maximè respectum habet.
Deinde, si Deus hominem fecit rectum: utiq; data est in homine
rectitudo, ceu qualitas creata, quæ rectitudinis, i. e. integritatis,
justitiæ, sanctitatisq; positionem infert, & contra omnem labem
naturalem, præsentiam suâ, excludit. Vid. ad loc. poster. D. D.
Seb. Schmidt tr. de imag. DEI part. I. cap. 9. p. 163. sqq. Benè
AUGUSTINUS T. 4. lib. de 83. qq. col. 533. q. 2. Hominem DEUS
cūne

cum fecit, quamquam optimum fecerit, non tamen id fecit, quod erat ipse. Melior autem homo est, qui voluntate, quam qui necessitate bonus. Voluntas igitur libera danda homini fuit. Et quæst. seq. 4. Si quidem Deus ita optimè hominem fecit, ut si vellet manere optimus, nullo resistente impediretur. Et Tom. 7. lib. 2. de nupt. & concupisc. c. 16. col. 8. 45. Bonitate sua DEUS facit homines, & primos sine peccato, & ceteros sub peccato, in usus profundarum cogitationum suarum. Item T. 4. lib. 65. q. col. 681. q. 19. Tale corpus habebat primus homo, quale & nos sed sine peccato. Non enim habebat legem in membris suis repugnantem legi mentis sue, sed utiq; promeruit post prævaricationem.

§. 7. Non ergò tantùm primus homo ἀναμάρτητος, & expers omnis labis & illegalitatis, sed etiam sanctus, justus & rectus fuit, conformitatem habens cum Dei sanctitate ac libertate. Rectitudo enim illa, in quâ conditus est, tum omnis curvitatibus, rebellionis ac disidii in carne, sive virtualis, sive actualis, carentiam; tum naturalem ad bonum inclinationem, ac liberam ac expeditam boni volitionem, volitiq; executionem, complectitur: omnem omninò potentiam prævaricandi proximam, ipsumq; peccatum actuale excludens. Dico: non tantum sine peccato; sed etiam impeccabilis primus homo fuit. Voluntas enim ejus ita libera & sancta fuit, ut tantum ad bonum propenderet, ad mali verò delectum aut boni neglectum prona haud esset. Quod autem postea accidit, infausto liberi arbitrii abusu accidit. Impeccabilis igitur cum primus homo dici solet, non id fit propriè, uti DEO absoluta & omnimoda impeccabilitas competit per essentiam: neque comparatè & secundum quid eò modò, quò Angelis & Beatis per gratiam tribuitur; sed secundum quid ideò, quod neque peccandi actus, neque proxima ad peccandum potentia in homine esset, & ipse lapsum ac peccatum evitare potuisset. Interim rectitudo & integritas primi hominis non excludebat, omnem, etiam remotam, ad peccandum potentiam: id quod lapsus ipsius spontaneus abundè satis ostendit. Unde non tam impeccabilis, quàm non labilis, vel non peccabilis dici nonnullis videtur, quod peccare & non-peccare poterat, si vellet. AUGUSTINUS

l. 2. de

1. 2. de Genes. ad lit. c. 7. Concedimus, meliorem esse naturam, quæ omnino peccare nolit: concedant vicissim & ipsi, non esse malam, quæ talis facta est, ut posset non peccare, si vellet, & justè punitam, quæ voluntate, non necessitate peccavit. Cum ergò utraq; bona, cur illam solam, & non utramq; Deus faceret, ut uberius laudaretur de utraq;? Tom. 7. tract. de arb. sc. B. & M. col. 1182. si modò Augustini est: Dicit calumniator: Sciebat DEUS hominem posse peccare, an non? Respondeamus ei, ne sibi videatur aliquid dixisse: sciebat planè. Si ergò sciebat, eum posse peccare, quare non eum revocavit à peccato? Quare? Quia invitum non decuit coronare. Adam nec pugnavit, nec certamen cum Diabolo suscepit: sed ad unam suggestionem præmium immortalitatis amisit. Victus est, qui non pugnavit, succubuit voluntati, non necessitati. Conf. sequentia, ubi variis objectionibus respondet. Rectè ZEÆMANNUS controvers. de imag. DEI: *Et si voluntas Adæ non erat ad bonum ita immutabiliter determinata, ut à bono se avertere non posset, quemadmodum voluntas bonorum Angelorum determinata est; quia & velle bonum, & nolle malum poterat, & viceversâ poterat quod, nolle bonum, & velle malum, naturaliter tamen ad bonum propendebat, idq; exequi facile poterat, à malo verò aliena erat.* Idq; ex mente DAMASCENI lib. 2. Orthod. Fid. c. 12. *Fecit Deus hominem ἀνακον, εὐθῆ, εὐάρετον, ἀλυπον, ἀμέριμνον, πάση ἀρετῇ κατηγλαϊσμένον, πᾶσι ἀγαθοῖς κομῶντα* — Et postea: *ἐποίησεν αὐτὸν φύσει ἀναμάρτητον, natura insontem, voluntate liberum.* Insontem (ἀναμάρτητον) a. dico, non quod non esset peccati susceptivus (nam sola divinitas peccatum suscipere nequit) sed quod in eò quod secundum naturam, peccare situm non esset, verum potius secundum voluntatis delectum: id est, potestatem habet & manendi, & proficiendi in bono, divine cooperator gratiæ, identidem & mutari ex bono, & in malum prolabi, Deo id permittente, propter liberam ipsius potestatem. Nam non virtus est, quod violentia fit factum. Vid. quoque CALOV. c. 1. p. 394. & 406.

§. 8. *Causa ac fundamentum illius ἀναμάρτησίας ἢ ἀγιοσύνης in primo homine est Dei creatio, vel communicatio illius in creatione primæva à Deo facta. Non enim primus homo in*
segritate

SYNCRISIS ADAMI

tegritatem & sanctitatem illam à se ipso, sed à Deo Creatore, e-
jusque sola gratia accepit: neque extrinsecè ei accessit, & ceu
donum supernaturale, ejus viribus naturalibus superaddita fuit:
sed intrinseca homini, à Deo concreata, ipsiq; naturæ insita fuit,
eam intimè perficiens, cum naturâ propagabilis, nec nisi cum
insigni naturæ depravatione eidem adimenda. Quicquid enim
primo homini concreatum fuit, tanquam perfectio quædam na-
turæ debita, eidemq; arctissime infixum, id sine omni dubio ipsi
naturale fuit: Siquidem naturalia primi hominis non aliunde,
quam ex creatione, quæ ipsi loco nativitatis erat, æstimanda ve-
niunt. Pluribus vide *D. CALOV. Tom. 4. System. de Imag. DEI*
q. 8. p. 664 - 684. D. QVENSIEDT Syst. Theol. part. 2. de Imag.
D. q. 6. p. 38. seqq.

§. 9. Graviter igitur errant: (1) PELAGIANI, qui primum
hominem ἁδέρηρον, id est, neque justum, neq; injustum, sive in-
puris naturalibus conditum statuerunt, quales hodiè nascantur
infantes. Vid. *AUGUSTINUS 6 lib. de heres. n. 88. col. 32. T. 2.*
lib. Ep. ad Bonifacium Ep. 60. col. 476. seq. & contra Pelag. &
Cœlestium 7. 7. passim. Consentiant Scholastici & Jesuitæ, quo-
rum communis est doctrina, hominem à primò ortu in puris na-
turalibus extitisse, quibus gratia deinceps accesserit. Sed quod
phantasma & merum cerebri figmentum sit, ex Physicorum gen-
tilium Scholâ haustum, ex superioribus patet. (2) PONTIFICII,
Pelagianos secuti, naturali primi hominis conditioni rebelli-
onem appetitus sensitivi & rationis tribuentes: atque hinc justi-
tiam originalem statuunt fuisse donum supernaturale, quò rebel-
lio illa connaturalis, ex conditione materiæ orta, ceu freno quo-
dam, coercita fuerit, ne in actum erumperet. *V. THOMAS l. 2.*
q. 82. artic. 1. ad 3. & BELLARMINUS lib. de grat. prim. hom. c. 5.
seq. donum fuisse docentes, non intrinsecum & naturale, sed ex-
ternum & supernaturale, extrinsecus naturæ, ad coercendam re-
bellionem atq; dissidium carnis, superadditum: Hocq; per pec-
catum sublatum esse, naturam verò integram servatam esse. Vid.
BELLARMINUS c. 1. Catechismus Rom. part. 1. p. 22. PERERIIUS
comment. in Genes. lib. 5. de statu innoc. disput. 3. p. m. 190. seqq.

Tametsi

PRIMI & SECUNDI.

Tametsi verò i. hominem nunquam per momentum in statu purorum naturalium extitisse, fateare. 2. Possibilem tantum fuisse, dicas, ejusque notitiam ad ceteros status distinctius pernoscendos plurimum conferre, & hinc seorsim considerari. 3. Justitiam, quoque originalem, subjectivè & transitivè naturalem fuisse status; non v. ἀκριβῶς & strictè, i. e. constitutivè & consecutivè: 4. Naturali strictè dicto contradistingvas supernaturale, quale donum fuerit primæva illa cum Deo conformitas: adeoque distingvas inter dotes naturales, quibus homo vi & ratione suæ naturæ præditus erat, & supernaturales, homini secundum naturam suam indebitas: Attamen cum homo nunquam in puris naturalibus extiterit, & natura ejus consideranda sit, non ex statu moderno, neque ex principiis naturæ, statui integritatis & corruptionis communibus; sed ex statu primævo, & naturæ principiis statui integritatis propriis, ac ratione intentionis ac voluntatis Divinæ de condenda naturâ cum talibus perfectionibus: Ideò hoc respectu justitiam originalem, (quæ hodiè, ratione status præsentis habitâ, cui ab extrinseco & ex peculiari beneficio accedit, non immeritò supernaturalis audit,) homini integro naturalem atque intrinsecam, ejusque naturæ debitam & convenientem fuisse pronunciamus; quia decreto & ordinationi divinæ conveniens, & per creationem ita primo homini indita fuit, ut, citra peculiarem novam accedentem Spiritus S. supernaturalem gratiam, imagine Divinâ concreatâ, ceu perfectione naturali, & naturaliter propagabili, coruscarit. Ut adeò distingvendum sit, inter imaginem Divinam, ceu naturalem concreatam virium perfectionem, & supernaturalem gratiam inhabitantem; inter id, quod supra naturam corruptam, & quod est supra naturam integram: inter naturalia utriusque statui communia, & naturalia, quæ propria fuere, tum naturæ integræ, tum corruptæ. Vid. Di.

QVENSFEDT c. l. p. 41. seq. & Augustinum

loco mox citandò.

APHO

APHORISMUS II.

IDEM primus Adam, legem primævam datam voluntarie transgrediendo, maximus peccator factus est.

§. 1. Eleganter **AVGVSTINVS** de primo homine, lib. 2. hypognost. contra Pelagianos t. 7. col. 1366. *Adam factus est absq; peccato natura: cum verò peccavit homo, natura peccavit, & facta est natura jam peccatrix, id est, vitium habens peccati, non ipsa effecta vitium vel peccatum. Post peccatum ergò homo peccator dictus est, non homo peccatum. Peccator enim à peccando, non homo à peccando dicitur: Et ideò peccator homo genuit hominem, sine dubio peccatorem: quia de natura, ut dixi, peccato vitiatam, non nisi natura nascitur vitiosa, id est, peccatrix: secundum quod ait Apostolus Paulus: Qualis terrenus, tales & terreni. Et hoc quomodo nisi per seminis spersionem? Mens hujus Doctoris eò tendit, peccatum originale, lapsu primi hominis introductum, naturalem quandam esse qualitatem, humanæ naturæ penitissimè infixam. Idq; congruit S. Scripturæ, quæ dicit, nos esse *Φύσσει* filios iræ, Ephes. 2, 3. & omne ex carne natum, esse carnem, quâ natum scil. ex carne & per naturam, Joh. 3, 5. Ut verò post lapsum, propensio voluntatis in malum, & omnium virium rebellio, nobis naturalis est: Ita à natura contrarii, peccati scil. hujus originalis, patet, etiam homini integro justitiam originalem, sanctitatem, & justitiam, fuisse naturalem, & non supernaturale aliquid, & adventitium, naturæ superadditum: quode in præcedentibus.*

§. 2. Nimirum Deus Creator homini condito declaraturus, se ipsius Creatorem ac Dominum esse, cui, tanquam servus ac creatura, servire ac obedire teneretur, legem ipsi dedit de non comedendo arboris scientiæ boni & mali fructu: Hancq; ut observaret, & se in illa, ceu Gymnasio quodam obedientiæ, exerceret, severè præcepit: ut observare posset, perfectis eum viribus instruxit: & ne observare detrectaret, mortis comminationem addidit.

addidit. Homo libero arbitrio instructus, non tamen ita creatus erat, ut vellet peccare: Interim, quia ratione præditus, idè in eâ libertate constitutus erat, ut posset velle, tanta luce illuminatus, ut posset non velle. *Nihilominus Adam* (ut ait AUGUSTINVS t. 7. de corrept. & grat. c. 12. col. 1344.) *& terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium, liberò usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate.*

§. 3. Equidem à Diabolo, verum & naturalem serpentem obsidente, implente, atque eò, ceu organo, utente, primi parentes nostri ad apostasiam seducti sunt, utp. qui ex invidia erga homines, arctissima cum Deo unione felices, complices habere cupiebat & culpæ & pœnæ suæ: Unde quoque *ἀνθρωποκτόνος ἀπ' ἀρχῆς* appellatur, Joh. VIII, 44. quia protoplastos, natura immortales, seductione sua præcipites dedit in mortem corporalem & spirituales, temporalem & æternam. Attamen, cum satan hic, non ut causa physica, cum hominibus primis egerit, per impulsionem quandam internam, in mentem & voluntatem eorum illabendo, eamque actione physicâ flectendo ac determinando: neque per violentiam externam, illos cogendo: utrumq; enim statui integritatis repugnabat: Sed tantummodò ut causa moralis, modoque svasorio externo, eos ad comedendum persuadendo, interdictum Divinum pervertendo, objectum appetibile ostendendo, assimilationem cum DEO promittendo: Idè primi homines non ex defectu aliquò interno, qui tum nullus fuit, sed ex voluntario libertatis abusu in persuasionem diabolicam consentiendo, & influxum Dei gratiosum interrumpendo, peccaverunt. Potuisset sanè apostasia Adami non existere positus etiam omnibus iis, quæ Diabolus per serpentem fecisse memoratur; secuta verò est, non nisi per accessionem liberrimæ voluntatis humanæ determinationis, quâ viribus concreatis, ex indifferentia voluntatis, is abusus est. *V. D. Wolfflinus exercit. 3. de lapsu Adami th. 10. D. Qvensted. System. Theol. part. 2. c. 2. de pecc. ©. 17. p. 52.*

§. 4. Equidem & Deum humana curiositas, in societatem hujus lapsus, pertrahere conatur, varias prætexendo causas; sed frustra, imò & impiè. Nam, ut FULGENTIVS ait lib. 1. ad Mon.

Illius rei DEUS est ultor, cuius non est autor: Ideò iniquitatem, quam punit, non fecit. Multi ac varii sunt modi, quorum causâ Deo peccatum primum tribui posse videtur: sed horum alii tales sunt, quibus ille nequaquam ad hoc peccatum concurrat; alii verò tales, quibus quidem ad illud concurrat, sed ex quo concursu ne minima quidem in ipsum culpa redundat. Certè non concurrat Deus ad lapsum primorum parentum, absolutè decernendo; quia DEUS est, non volens iniquitatem, Psal. 5, 5. neque Diabolum ad seducendum provocando; quia Diabolum punivit, quod id fecit: neque hominem ad peccandum impellendo; quia interdixit, & punivit: insuper homo libero privaretur arbitrio, nam, qui superiore principio efficaciter impellente, aliquid agit, liberâ & plenâ voluntate fecisse dici is vix potest. Concurrendo autem Deus, ne unico quidem modo actum hujus peccati promovit. Non præsciendo: *non enim ideò, (ut ait HIERONYMVS dial. 3. adv. Pelag.) peccavit Adam, quia Deus hoc futurum noverat; sed præscivit Deus quasi Deus, quod ille erat propria voluntate facturus.* Non hominis naturam sustentando, & sic actionem ipsam coëfficiendo: Natura enim in se, & actio, quâ talis, & in quantum motus physicus est, non est mala; sed ἀταξία, quæ ipsi adhæret. Non hominem labilem creando: voluit enim, ut sic creatus liberè obedientiam præstaret, & tentanti sufficienter resistere posset. Non legem promulgando: facillima enim erat observatu perfectis ad obediendum viribus instructo. Non permittendo Diabolicas tentationes: *sic enim, (ait AUGUSTINUS sup. Gen. l. II. c. 9.) eos fecit, ut relinqueret eis, unde aliquid facerent, & si culpabiliter aliquid facerent, illum inde laudabiliter operantem invenirent.* Non determinando illud ad bonum finem: Deus enim est ἀνταρπής, bonorum nostrorum non egens, multò minus peccatorum. Imò hunc finem non fuisset assecutus: non justitiæ quidem, quia justitia non est, si puniendum reum non invenisse, sed fecisse dicatur: neque misericordiæ, quia malevola est benevolentia, si quis miserum aliquem esse velit, ut ejus misereatur, dicente Augustino l. 3. conf. c. 2. non deserendo hominem gratiâ suâ: deserere enim & efficienter operari se non ponunt, sed

mutuo

mutuò tollunt. Neque Deus omni gratia hominem destituit, licet specialem, ad cuius largitionem non obligabatur, non concesserit. V. B. D. GERHARDUS T. 2. LL. CC. de pecc. orig. §. 14. ad 25. B. D. MEISNERUS in Anthropolog. dec. 2. disp. 4. q. 2. GESNERUS in c. 3. Gen. item FR. JUNIUS lib. de causa prim. pecc. q. 2. §. 5. Sola igitur voluntas primorum hominum, causa & principium apostasias fuit; non tamen qua talis, sed qua vitiosa, & quatenus sponte à lege deflectebat; non per se, sed per accidens. Nam & bonum potest esse causa mali, sed per accidens, quatenus deficit. Principium autem, quò homo in agendo moveri solet, directivum quidem, est intellectus, imperativum verò, voluntas, non exclusis affectibus & appetitu sensitivò. Hoc principium liberè agens in Adamò aberravit, & ipsum impulit ad peccatum, & quidem à seipso motum: Si quidem omne principium movetur à se. Prius tamen motum est ab externo quodam principio, quod potest esse principium ortus, licet non actus. Hoc principium fuit Diabolus, qui principiis in Adamo admovit tentationem, & intellectui quidem falsum sub specie veri, & voluntati malum boni specie vestitum proposuit, affectus item & appetitum sensitivum objecto materiali, ejusque jucunditate & suavitate pellexit: ab hoc principio voluntas Adami fuit mota, non tanquam ab efficiente, (efficiens enim per se fuit voluntas ultro, & electione sua ei consentiens;) sed tanquam à consulente, & per meram suasionem moralem externam agentem causa, quam homo beneficio virium in creatione acceptarum, præsente concursu DEI gratiosissimò, facile repellere potuisset. *Quippe suadendi vim Tentator habuit & pelliciendi, persuadendi non habuit, multò minus voluntatem hominis ad actum vitium determinandi: Ipse homo tentationem admotam ultrò admisit:* ait B. D. Qvenstedt. c. 1. pag. 52. Non itaque ex defectu aliquo interno, aut præsencia alicujus vitii naturalis, sed per accidentarium libertatis abusum homo peccavit; dum intellectus malè apprehendendo, malū bonum judicavit, & voluntati sic proposuit; Voluntas autem malè appetendo illud elegit, & appetitum excitavit; hic autem loco motivam movit, & sic actus externus consummatus fuit.

§. 6. Atque hinc etiam illud primorum parentum peccatum omnium peccatorum gravissimum est, quia in summa integritate ac rectitudine id commiserunt. Ex variis argumentis gravitas peccati Adamitici elucescit. Nam (1) *Statum hominis primævum* si consideremus, potuit is absque ulla difficultate præcepto Dei denon comedendo fructu obtemperare. Nam fulgebat iustitiæ concreatæ perfectione, perfectâ scilicet intellectus sapientia, & Θεογνωσία, perfectâ voluntatis sanctitate, & libertate, etiam in ipsis spiritualibus, summâ castitate, puritate, & ἀνταρξεία, omniumque cupiditatum atque affectuum cum rectâ ratione & voluntate harmoniâ, atque adeo sufficientissimâ diabolicis tentationibus resistendi virtute, quâ instructus & armatus homo, non tantum affatim repellere, sed & hostem vincere potuisset. Accedebat præsens Dei auxilium, & gratiæ ipsius cooperatio, non denegata, sed donata primo homini, & necessario cum imagine concreatâ etiam connexa: item Angelici exercitus adstantia, quam ubique comitem habebat. Unde AUGUSTINUS lib. XIV de Civ. Dei c. 15. ait: *Æstimare oportet, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas.*

§. 7. Constat gravitas peccati (2) *ex lege primævâ*, quæ observari facillima fuit homini: tum, quod is sufficienter ad illam implendam instructus: tum, quod lex in se facilis esset, in tanta arborum atque ciborum copiâ: insuper æqvissima, & homini quoque utilissima. Quid enim æqvius, quam hominem obtemperare Deo, tam liberaliter indulgenti, suo arbitrio utendi fruendi que universis horti istius deliciis, proventibus, fructibus, unâ arbore excepta? Quid iustius, quam Deo pro tanta beneficentia tantillam obedientiam gratitudinis loco rependere? Quid utilius homini, quam in Dei præcipientis honorê ab unica arbore abstinere? Fuisset enim hæc illi obedientia amplissimo præmio, hereditaria scil. possessione, & usu incredibilium divitiarum compensata. AUGUSTINUS cit. l. c. 12. *Obedientia commendata est in præcepto, quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium custosque virtutum, quandoquidem sic facta est, ut ei subditam esse sit utile, perniciosum autem, suam non ejus, à quo creata est, facere voluntaria-*

voluntatem. Hoc itaq; de uno cibi genere non edendo, ubi aliorum tanta copia subjacebat, tam leve præceptum ad observandum, tam breve ad memoriam retinendum, ubi præsertim nondum voluntati cupiditas resistebat, quod de pœna transgressionis postea est secutum, tantò majore injustitiâ est violatum, quanto faciliore posset observantiâ custodiri.

§. 8. Cõstat (3) *ab objecto*; cõmisit n. hoc peccatũ *α. adversus DEũ*, Creatorẽ suum, ac Benefactorem, qui non tantũ originalẽ naturæ præstantiam, cum omni felicitate, beatitudine, ac possessione ineffabilium divitiarum, in paradiso hereditariẽ fruenda, ipsi donaverat; sed & largissimam præcepto dato præmiserat pollicitationem, ut manifestior esset præcepti æqvitas, & homo ejus reverentia magis afficeretur. Cum enim pro suo jure tantum possit imperare; tamen propositis præmiis hominẽ ad obedientiam spontaneam allicit; sicut parentes filios beneficiis allicere ad officium solent. Quare inexcusabilis fuit hominis ingratitude, qui tantam Dei liberalitatem tam cito contempsit, & scœdus error, qui totius horti delicias & bona omnia perdere, quam unica arbore à Deo vetita carere maluit. *β. Adversus semetipsum*, siquidem pristina non tantum felicitate, & concreata bonitate se privavit; sed etiam profundissimam naturæ suæ depravationem, horrendam virium omnium corruptionem, mortemqve ipsam, sibi contraxit. *γ. Adversus proximum*, siquidem & totam suam posteritatem confecit. Unde Augustinus in Enchirid. ad Laurent. c. 26. *Adamus stirpem suam, quam peccando in se tanquam in radice vitiaverat, pœna mortis & damnationis obstrinxit.*

§. 9. Item (4) *ab opere ipso*, quod ob concursum vitiorum, & deformitatis amplitudinem, valde horribile est. Nam (*α*) unum illud peccatum varios ac distinctos peccaminosos actus complectitur, affectatam legis *ἀγνοίαν, ἀπιστίαν, τὴν ἡμετέραν* dimissionem, mendacii satanici admisionem, Deiformitatis affectionem, ac superbiam, inobedientiam, ingratitude, & blasphemiam in Deum, & injuriam in totum genus humanum. Conf. Augustin. Enchirid. ad Laur. c. 45. Peccavit *β. Homo corde & affectu*, inordinato scil. Deiformitatis appetitu, ac perversa rei prohibi-

prohibita cupiditate: ore & affatu, præceptum Dei cotrumpendo, & voculam forte addendo, culpam in serpentem, imo in Deum transferendo; manu & effectu, appetitum explendo, & actualiter legem Dei transgrediendo. *γ. immediate* autem hanc legem de non comedendo violando, homo *mediate* ac *virtualiter* totam legem moralem transilivit & universa decalogi præcepta, quæ in illa primordiali & symbolica lege continebantur. Unde Tertullianus l. adv. Iud. cap. 2. hoc peccatum *totius decalogi inversionem* appellat, docetque per omnia decem præcepta, quomodo unius transgressione omnia & singula violata sint, p. m. 115. *In hac lege, inquit, Adæ data, omnia præcepta condita recognoscimus, quæ postea pullulaverunt data per Moysen, id est, Diliges Dominum Deum tuum &c. Primordialis lex est enim data Adæ & Evæ in paradiso, quasi matrix omnium præceptorum DEi. Denique si Dominum DEum suum dilexissent, contra præcepta ejus non fecissent: si proximum diligere, id est semetipsos, persuasioni serpentis non credidissent, atque ita in semetipsos homicidium non commisissent, excidendo de immortalitate, faciendo contra Dei præceptum. A furto quoque abstinuissent, & de fructu arboris clam non degustassent. Nec à conspectu Domini DEi nostri sub arbore delitescere gestassent. Nec falsum asseveranti diabolo participes efficerentur, credendo ei, quod similes Deo essent futuri. Atque ita nec DEum offendissent, ut Patrem, qui eos de limo terræ quasi ex utero matris figuraverat. Si alienum non concupiscerent, de fructu illicito non gustassent. Igitur hac generali & primordiali Dei lege, quam in arboris fructu observari Deus sanxerat, omnia præcepta legis posterioris specialiter indita fuisse cognoscimus, quæ suis temporibus edita germinaverunt. Conf. GESNERVM in cap. 3. Genes. qv. 10. QVENSTEDT System. part. 2. p. 55.*

§. 10. Denique (5) à pœna gravitas primi peccati conjici potest: Siquidem ob illud homo gravissimo supplicio à DEo, justo Iudice, affectus est. Communes enim & immediati hujus peccati, tum ratione protoplastotum in suis personis, tum ratione speciei humanæ, effectus sunt: totalis imaginis Divinæ amissio: intima naturæ totius humanæ corruptio: reatus ad pœnam: miseriæ,

miseriæ, calamitates, morbi, & denique ipsa mors temporalis, spiritualis, & æterna. Quia enim non solum primi parentes, sed & omnes eorum posterii, carnali generatione ab ipsis propagandi, hoc peccatum commiserunt; ideo quoque utrisque pœna, & mors naturæ, gratiæ, & gloriæ, communis est. Per unum enim hominem peccatum in mundum venit, & per peccatum mors, & sic in totum mundum pertransiit: eo quod in uno (primo sc. hominæ) omnes peccaverunt, vel eo, quod unus ille peccavit, omnes peccarunt, scil. in Adamo, omnium posterorum personam repræsentante. Roman. V, 12.

§. II. Neque de veritate, aut æquitate, primi peccati toti generi humano imputati, dubitari potest. Non de veritate: quia *a. in Adamo, ἐφ' ὧ, omnes peccarunt, Rom. V. v. 12. β. Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi ib. v. 19.* Non nudâ imputatione, nec imitatione tantum, sed & imputatione reatus realis, & propagatione pravitatis naturalis, & participatione culpæ actualis. *γ. Quia posterii Adami, ob ejus transgressionem, rei sunt pœnæ; ideo illos & participes ac reos transgressionis Adamicæ esse oportet, quia reatus pœnæ præsupponit reatum culpæ. B. D. KONIGIUS in Theol. posit. part. 2. p. 62. scribit: Lapsus primi hominis, prout præcisè notat transgressionem circa arborem vetitam, formaliter ipsius individui Adami peccatum est; noster a. solâ imputatione fit. At prout connotat, quod ex illâ transgressionem fluxit, nature scilicet vitium, seu justitiæ originalis carentiam, non solâ imputatione, sed etiam per carnalem generationem ad posteros transit. Gen. V, 3. 1. Cor. XV, 48.* Neque de æquitate, aut justitia, num meritò peccatum primum omnibus hominibus imputari possit, dubitari debet. Nam Adam, qui stirps, & radix, ac principium est generis humani, dona accepit à DEO, tum pro se, tum pro suis posteris, ut, si ea retineret, in posteros propagaret, si amitteret, etiam posteris amissa essent. *Causa proxima, inquit Königius. c. I. §. 61. cur, peccante primo homine, omnes ejus posterii peccaverint, est existentia totius speciei humane in persona protoplasti, Rom. V, 12. Adeoque peccatum primum unius & solius Adami fuit, quatenus is unus homo fuit;*

C

idem

idem tamen & totius naturæ fuit, quæ is generis humani fuit principium ac radix: adeò, ut hæc ratione ejus voluntas, ex Creatoris voluntate, censeatur nostra, non quidem propriè & formaliter, sed interpretativè: sive non propria personaliter, sed imputativè, quia non Adamo solum, sed omni posteritati ad damnationem imputatur. In Adamo totum genus humanum & stare debebat, & cadere poterat. Vid. *MEISNERUS Anthropol. decad. 1. disp. 5. q. 2. §. 18.* D. *CALOVIVS T. 5. System. artic. 2. de lapsu Adami c. 2. q. 1. §. 2. p. 158. - 161.* D. *JOH. TOB. MAJOR disp. de Jure divino imputandi peccatum Adamiticum generi humano: Item RIVETUS in collectione sententiarum de imput. pr. pec. T. 3. oper. §. MARESIVS disp. Select. part. 2. disp. de Jure Dei. in hom. §. 34.*

§. 12. Errant itaque (1) SCHOLASTICI, qui peccatum primum ideò extenuant, ut peccatum originis cum Pelagianis possint in dubium vocare; aut negant omnibus posterorum peccatis gravius esse; aut disputant, non fuisse gravissimum simpliciter, sed ex quibusdam circumstantiis. Vid. *Comment. in 2. sentent. dist. 21. §. Bellarmin. l. 3. de statu pecc. c. 10. §. 10.* quamvis enim non negamus, dari posse peccata; quoad unam vel alteram circumstantiam atque conditionem graviora; absolutè tamen & simpliciter non dantur, quia omnia hæc, ex quibus gravitas peccati æstimari solet, inveniuntur gravissima. Vid. *CALOVIVS c. l. cap. 1. q. 1. p. 135. sq. B. GERHARDUS in LL. Th. de P. O. §. 40. §. 38.* ubi ad q. *An peccatum Adæ potuerit esse veniale?* quod Scotus, & alii statuunt, negativam defendit (2) PHOTINIANI & PONTIFICII, qui per peccatum Adami imaginem divinam amisissam esse, negant, & naturam hominum talem nunc esse, statuunt, qualem Adam à Creatore accepit. Vid. *Bellarminus l. 5. de amis. grat. c. 3. & l. 4. de Eccles. c. 9. Socinus lib. 1. de stat. pr. hom. p. 7. &c. HUGO ad Gen. 5. Sicut Adam factus fuit à Deo innocente & immortalis innocens ac immortalis, id est, qui non posset mori: ita ipse factus peccator & mortalis, genuit peccatorem & mortalem.* Vid. *B. GERHARDUS c. l. de imag. Dei. §. 129. - 137. BROCHMAND Syst. Theol. artic. 9. c. 2. qv. 9. D. CALOVIVS in Socin. prof.*

profl. sect. 4. artic. 2. controu. 2. & 3. D. SCHERZERUS colleg. Anti-
 soc. disp. 31. D. QVENSTEDT part. 2. cap. 1. q. 9 p. 46. sqq. (3.)
 MARCIONITÆ, LIBERTINI, & alii veterum: Item ex Pon-
 tificiis, Reformatis & Lutheranis Dd. qui incautis locutionibus,
 sive directè, sive indirectè, sive per se, sive per accidens, Deum
 lapsus Adamitici causam & autorem faciunt. Contra quos
 prolixè egerunt D. CALOVIUS in System. T. 5. art. 1. c. 2. q. 1. 2. 3.
 4. 5. 6. JAC. MARTINI Tr. de caus. pec. disp. 1. MEISNERUS An-
 throp. dec. 1. disp. 3. q. 4. HULSEMANNUS disp. 3. Tr. de auxili.
 grat. D. QVENSTEDT system. part. 2. c. 2. q. 5. & plures alii.
 (4) PELAGIANI, SOCINIANI, & ARMINIANI, qui neque verè,
 neque meritò peccatum Adamiticum toti generi humano à DEO
 imputari, contendunt, neque pœnam Adami posteris decenter
 convenire, citra justitiæ divinæ læsionem. Vid. præter memoratos
 §. II. in fine, D. D. OSIANDER system. Th. Exerc. 51. & in colleg.
 Th. ad pr. Controv. de hom. pr. pec. q. 6. D. FEURBOR in Antiostor.
 disp. 31. §. 20. D. NICOL. HUNNIUS Exam. err. Photin. de lapsu
 pr. hom. c. 1. n. 14 D. QVENSTEDT. c. 1. q. 7.

APHORISMUS III.

ADAMUS secundus ἀναμάρτητος, rectus & inte-
 ger justus & sanctus ex Maria factus & na-
 tus est, ita, ut non posset peccare.

§. 1. Adamus Secundus & ultimus CHRISTUS JESUS
 est; hoc enim nomine ipsum appellat Apostolus Paulus, 1. Co-
 rinth. XV, 47. & 45. & quidem ratione typi, qui primus Adam
 fuit, inter quos collationem instituit, & eos, quasi duos Patres
 proponit, ex quibus unus idemque homo corpus, & vitam ani-
 malem, & spiritualem, habet. Primus homo, ait, de terra terre-
 nus, secundus homo de cœlo cœlestis, vers. 47. seu potius, ipse Do-
 minus è cœlo: quam lectionem summo consensu omnes inter-
 pretes sequuntur: notante fide dignissimo Critico, Theodoro
 Bezâ. Ratione originis, primus de terrâ est, Deus enim ipsum
 formavit de limo terræ; secundus de cœlo, non enim nudus
 homo

homo est, constans animâ & corpore, ut Adam, sed insuper verus Deus, & Dominus de cœlô. Ratione generationis, primus terrenam & animale propogat vitam in posteros; secundus verò spiritualement, factus enim est in spiritum vivificantem, juxta animam scilicet humanam, ita, ut & anima Christi vivificet, non quidem ex sese suaque natura, sed per & propter unionem cum vivificô λόγῳ hypostaticam. Vid. *HUNNIUS & BALDUINIUS*, in *1. Cor. 15. c. l.*

§. 2. Quemadmodum autem primus Adam ad imaginem Creatoris factus est: ita *Christus Homo* ad eandem quoque creatus est. Humana enim Christi natura est creatura, facta ex muliere, Gal. IV, 4. ad imaginem Dei, quæ in Adamo ante lapsum, ceu typus fuit, in quò imago antitypi integra & incorrupta relucebat. *Christus gemina substantia Gigas*, secundum geminam etiam naturam Dei imaginem gerit, sed cum discrimine. Nam juxta Divinam naturam, imago DEI est substantialis, ratione generationis æternæ, per quam essentiam Divinam à Patre accepit, & quam Pater semetipsum intuendo filio cōmunicavit. Sed juxta Humanam naturam, imago Dei est accidentalis, ex quâ sapientia, justitia, sanctitas, & bonitas Dei quàm perfectissimè reluxit. Hic Christum secundum humanam naturam consideramus, tanquam Antitypum primi hominis ante lapsum, & huic illum non tantum conferimus, sed & præferimus.

§. 3. Licet igitur humana Christi natura ab Adamo originem trahat, & in lumbis quoque ejus originaliter extiterit; nequaquam tamen de peccato, sed de substantiâ & naturâ ejus tantum participasse, dicenda est *Non enim in illo fuit* (ut *VOETIUS* part. 1. disp. select. de propag. Pec. or. p. 115.) *moraliter, secundum fœdus, cum eo, tanquam principio, radice ac capite representativò communi istius fœderis, à Deo initum.* Idque congruit verbis Apostoli, Hebr. VII. 9. & 10. ubi Christum sacerdotem Melchisedecianum opponit sacerdoti Levitico in illo tertio, quod in lumbis legi non fuerit subjectus; cui autem nulla lex posita est, in illum non cadit transgressio. Confer de hoc loco *AUGUSTINUM* T. 3. lib. 10. de Gen. ad lit. c. 19. & 21. ubi scribit: *Satis ostendit,*

ostendit, posse inde aliquid sumi, quod non habeat illam vim seminalem, sed tantum corporalem substantiam, quæ divinitus, non de propagine concumbentium, in carnem Christi assumpta atq; formata est. De anima Christi, cum antea c. 19. & 20. negasset, eam in lumbis Abrahamæ fuisse, dubitanter c. 21. concludit: *Breviter itaq; colligam, si potuit & de anima fieri, quod cum de carne diceremus, forsitan intellectum sit, ita & de traduce anima Christi, ut non secum labem prævaricationis attraxerit. Si autem sine isto reatu non posset inde esse, non est inde.* Augustinum sequitur THOMAS in summa part. 3. q. 31. art. 1. n. 168. f. *Corpus Christi fuit in Adam secundum corpulentam substantiam: quia scilicet ipsa materia corporis Christi derivata est ab Adam. Non autem fuit ibi secundum seminalem rationem: quia non est concepta ex virili semine.* Conf. artic. 6 & 7. ubi illos errare scribit, qui ideò, quod caro Christi non fuit peccato obnoxia, actu in Patribus conditionem Christi vel carnis ejus ponunt, fuisse nempe in Adam & in aliis Patribus aliquam partem corporis ejus, quæ non fuit peccato obnoxia, ex qua postmodum corpus Christi formaretur. Conf. Eundem in III. sent. Dist. III. q. 4. art. 4. & D. CALOV. System. Theol. T. 7. art. 2. c. 2. q. 4. p. 123 - 126. ubi confirmat argumentis, massam virginæam, ex quâ humana Christi natura formata, semen fuisse matris, idq;ve animatum. Non fuisse in Adamo peccante, breviter, sed solidè evincit noster D. DANNHÄUERUS in Hodosoph. phoenom. 8. p. 614. *Illi dicuntur fuisse in Adamo, qui ex Adamo necessario nati sunt. At Christus solum ex occasione peccati natus est, non nasciturus, si Adam non peccasset.*

§. 4. Non est, ut subtilitatibus illis Scholasticis, vel recensendis, vel examinandis, industriam impendam, in Scripturâ Sacra, Fonte Israëlîs limpidissimo, cum animus sit. Egerunt de hoc quæsitò, *utrum Christus fuerit in lumbis Adami peccantis?* quantum satis est, duo Wittebergenses Theologi D. D. MAYER pec. disp. de hac quæstione, & B. D. WALTHERUS F. de ἀναπαρτησὶς Christi: in primis etiam B. HULSEMANNUS & SCHERZERUS in Breviar. Enucl. p. 364. seq. it. Mich. WALTHERUS P. Cent. Misc. n. 39. p. 377 -- 380. ad quos benevolam Lectorem remitto. Nos hoc lo-

co breviter tantum demonstrare volumus. 1. Humanam Christi naturam, ab Adamo originem habentem, penitus immunem fuisse, ab omni peccato, originali & actuali; à peccati habitu, actu, & reatu, ab omni, etiam levisimâ maculâ, coinquinatione, & corruptione. 2. Eandem fuisse sanctissimam, justissimam, exactissimam & perfectissimam, cum divinâ sanctitate & justitiâ, omni modo convenientem. 3. Impeccabilem prorsus & ἀναμάρτητον, non tantum, ut Adam ante lapsum, qui omnis peccandi potentie proximæ expers, & tantum ad bonum liberâ voluntate propensus erat; sed etiam ita, ut non potuerit peccare. Atque hanc ἀναμάρτησίαν, quam Theologi formaliter in absentia omnis peccati, perfecta sanctitate, & facultatis peccandi carentia constituunt, dicimus individualem Humanæ Christi Naturæ proprietatem, & quidem *inhesivam* & *habitualem*. Alia est sanctitas & justitia, quæ dicitur *acquistiva* & *imputativa*, nobisq; imputatur, quâ de Coloss. 1, 22. & infra ex 2. Corinth. 5, 21. agitur.

§ 5. Hanc *inhesivam* Christi ἀναμάρτησίαν probamus (II) ex loco iniriò adducto 2. Corinth. V, 21 ubi Apostolo dicitur, *Christus, ὁ μὴ γνῶς τὴν ἀμαρτίαν, qui non novit peccatum*. Jam notum est ex Philologia, quod verba & nomina notitiæ, non tantum puram, solam, aut speculativam; sed etiam practicam, vivam, & efficacem notitiam denotent. Quare, inquit Flacius hac voc. in clave, *verba, Novi, Scio, Nescio, & Ignoro, significant etiã sequentes motus, bonos aut malos: aliàs Approbo, Curo, Foveo, Juvo; aliàs contra*. Et col. seq. 752. m. *Tale quiddam est, quod Paulus 2. Cor. 5. v. 21. dicit: Christum peccatum non novisse, ubi non de ipsâ speculativâ notitiâ dicitur; quandoquidem Christus solus peccati fœditatem & magnitudinem novit; sed de approbatione, patratione, promotione &c.* Idem part. alt. Clav. tr. 4. De tropis col. 320. *non novisse peccatum, id est, non probasse, non admisisse.* Sic Psal. 7, v. 9. *Ignorantia, pro innocentia aut negatione ponitur.* Sic Germani quoq; dicunt, *Er wil nichts davon wissen/ id est, fingit se esse innocentem.* Similis locutio occurrit Psal. 35, 11. *Quæ non novi i. e. quorum non conscius sum; sive, quæ ne semel in mentem mihi venerunt; sive, quæ non feci, admisi, postulant me.*

PRIMI & SECUNDI.

me. D. LUTHERUS olim: Die fragen mich/ davon ich nichts weiß; sed postea reddidit: Die zethen mich/ das ich nicht schuldig bin. Adhibuit ergò Apostolus emphaticum verbum, quò non tantum indicat notitiæ practicæ negationem, *Christum peccatum non fecisse, probasse, Jes. 53, 9.* sed insuper etiam remotionem omnis inclinationis ac pronitatis ad peccandum, & habitus vitiosi: significans, *Christum tam alienum fuisse à peccato, ac si penitus peccatum ignoraret:* non malè exponente *Estio* comment. in h. l. D. SCHERZERUS c. l. pag. 672. *qui non noverat peccatum, i. e. habebat ullum peccatum.* Nosse enim in significato habendi, & possidendi usurpatur. Vid. *Flacius* c. l. & *David Rungius* h. l. disp. 6. p. 709. Nosse, ait, *Hebraicâ phrasè dicitur pro habere, diligere, usurpare.*

§. 6. Probo (2) ex Daniel. c. IX. v. 24. ubi Messias appellatur, *sanctus sanctorum*, live, ut Fons habet, *קדוש קדושים* *sanctitas sanctitatum.* Equidem nonnulli Interpretes alii subjecto tribuunt hoc elogium Divinum: GRASERUS sancto sanctorum Mosaico, de quò Exod. 26, 33. agitur: PISCATOR Sanctuario Cœlesti, quod Hebr. 9, 12, 24. & c. 10, 19. describitur: COCCBJUS sanctæ Ecclesiæ, Annot. ad Hebr. IX. Neque negari potest, variis passim rebus illud tribui, Thymiamati Exod. XXX, 36. Tabernaculo. Num. IV, 4. Altari Exod. 29, 37. XL, 11. Oblationi Levit. 18, 9. Atriò templi, vers. 10. Sanctuario sacrationi, 1. Reg. 6, 16. Pani propositionum Lev. 24, 9. Victimæ, Lev. 7, 1, 6. &c. Veruntamen hoc loco Danielis, nemini, nisi MESSIÆ soli illud competere, varia de eò hîc prædicata indubitato demonstrant. Nam *α.* ab Angelo Gabriele clarè promittitur Messiæ sacrificium cruentum. *β.* Messiæ divina unctio ad officium Mediatorium aperte indigitatur. *γ.* Perfecta peccatorum sublatio, quæ à nullo, nisi ab *αυαρυπητω* fieri potest, describitur. *δ.* Æternæ justitiæ acquisitio, quæ justitia seculorum dicitur, *Jes. 54, 8.* indicatur: quæ & alia prædicata non alium, nisi Messiam, designant. Unde THEODORETUS in h. l. T. I. p. 586. *Quis est ille sanctus sanctorum? Dicant Judæi. Quod si ignorant, discant à nobis, esse Dominum Christum.* Atque in hoc subjecto consentiunt plerique ferè Interpre-

terpretes, quorum non paucos allegat D GEIERVS in h. l. p. 735. ubi addit: Adeoq; Messias est sanctitas sanctitatum, h. e. Sanctissimus, tum essentialiter, tanquam proprius DEi filius, adeoq; sanctitatem habens, non aliunde, sed ex seipso; non aliquatenus, sed omnino & infinite, imò immutabiliter: tum ratione humane nature τὸ λόγῳ unita personaliter: tum quoad officium, cui destinatus est à cunctis Adamigenis singularissimè: tum quoad beneficium, quò est sanctificatio nostra 1. Cor. 1, 30. Conf. seq. §. 8.

§. 7. Ex (3) Jesai LIII. 9. & I. Petr. II, 22. Nam hic dicitur, quod peccatum non fecerit, neq; dolus fuerit in ore ejus. Duplici negatione Propheta & Apostolus à Christo removeant peccatum, non fecit; & non fuit in eò, quod posterius & 1. Joh. III, 5. de eò legitur. Vox ΔΝΗ, quam LXX. ἀνομίαν, Petrus ἀμαρτίαν reddunt, injuriam, violentiam, & quamcunque iniquitatem denotat, quæ est, vel cogitari potest. Vox ἡδωδ fraudem, dolum, imposturas, significat, quæ neque in Christi doctrinà, neque in ejus vità inventæ fuere. Ad eò inculpatus, immaculatus, & incontaminatus fuit Agnus, præfiguratus ab agnis & sacrificiis Vet. Test. quæ pura, munda, & perfecta debebant esse. Levit. I, 3, 10. III, 1, 6. D. D. QVENSTEDT specialius accipit vocem ΔΝΗ de externa violentia, scribens in syst. part. 3. p. 77. Ab omni parte innocens fuit, neminiq; vim aliquam externam & apertam intulit, & à moribus ejus fraus & doli longissimè exularunt. AUGUSTINUS ad h. l. ita concludit Tom. 7. l. V. contra Julian. c. 15. p. 428. Notandum est, quod judicaverit Apostolus, sufficere, ad ostendendum, in Christo nullum fuisse peccatum, ut doceret, quia, qui non fecit, habere non potuit. Omnino verissimum est. Profectò enim peccatum, etiam major fecisset, si parvulus habuisset: nam propterea nullus est hominum, præter ipsum, qui peccatum non fecerit, grandioris ætatis accessu, quia est nullus hominum, præter ipsum, qui peccatum non habuerit, infantilis ætatis exortu.

§. 8. Ex (4) Luc. I, 35. Sanctum, quod ex te nascetur, Filius DEi vocabitur. Utitur Evangelista neutro genere, quod sensu Masculino sæpius occurrit, Joh. 3, 6. 1. Joh. 5, 4. coll. cum 3, 9. intelligens aliquid ὁφισάμενον, quod per conceptionem ἁγίον, sanctum,

sanctum, esse cœpit, cum nempe conceptum in Maria est: ac de hoc sancto, quod ex Maria factum ac natum est, dicit, esse *Filium Dei*, naturalem scilicet, sed non naturaliter, verum ex gratiâ personalis unionis. Plures autem causæ sunt, quare Messias *sanctus*, *sanctum*, *sanctus sanctorum*, item *Sanctus Dei* Psal. 16, 10. Act. 2, 27. Luc. 4, 34. & *sanctus Israël* Psal. 89, 19. vocatur, annotatæ à FLACIO in clav. voc. Sanctus col. 1098. Aliquando, inquit, solo nomine *sanctus* dicitur, veluti, per excellentiam, quia ipsi potissimum hoc nomen conveniat. Act. 13, 14. 1. Job. 2, 20. Observavit hanc ἐξοχὴν & singularem rationem quoq; BERNHARDUS Homil. 4. Iuper missus est Angelus T. 1. f. m. 15. Attende quæso, quam reverenter dixerit, quod nascetur ex te *sanctum*. Ut quid enim ita simpliciter *sanctum*, & absq; additamento? Credo, quia non habuit, quid propriè digneve nominaret. Illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima videlicet virginis carne cum sua anima unico Patris erat unendum. Si diceret *sancta caro*, vel *sanctus homo*, vel *sanctus infans*, quicquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergò indefinitè *sanctum*, quia quicquid illud sit, quod Virgo genuit, *sanctum* proculdubio ac singulariter *sanctum* fuit, & per Spiritus sanctificationem, & per verbi assumptionem. Respicit itaq; Lucas h. l. conceptionem, quæ causa est, ob quam Angelus Christum *sanctum* appellat. Nam in conceptione *Sanctitas* illi collata est, tum *originalis*, *inhesiva*, & *habitualis*, dum Christi humana natura à prima origine perfectè *sancta*, & absq; minima peccati labe, concepta atq; elaborata est: tum *communicativa* & *infinita*, dum infinita λόγος *sanctitas* Eidem in unione personali communicata est. Præterea omnis *Sanctitatis* causa & autor est, unde FLACIUS c. l. dicitur *Christus*, tum *activè*, tum *passivè*, *Sanctus*: quia & per se est *sanctissimus*; & populum Dei *sanctificat*, ac *mundat à peccatis suis*. Conf. 1. Cor. VI, 11. Hebr. X, 14.

§. 9. Ex (5) Hebr. 7, 26. *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus*. Locus egregius, & ἀναμαρτησίας Christi sedes propria, quâ illam elegantissimò συναθροισμῶ ἱετικῶς ἢ ἀρνητικῶς,

D

κῶς,

κῶς, Apostolus expressit. ESTIUS & GERHARDUS hæc epitheta distingunt, ut dicatur ὅσιος, sanctus, ob puritatem & sanctitatem, ad officium sacerdotis idoneus, ab omni labe peccati mundus: ἀκακος, peccati & malitiae expers: ἀμίαντος, impollutus, incontaminatus, nullis peccatorum sordibus inquinatus: Κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν, qui in peccatorum numero non habetur, nec unquam habuit locum, qui à peccatorum vitâ & moribus longissimè distat. FLACIUS tamen c. l. existimat, quod hîc Scriptura vocem Sanctitatis synonymis quibusdam declaret. Et sic quoq; sentit HUNNIUS h. l. vocem ὅσιος per reliqua explicari. Non vidèd, inquit D. SEB. SCHMIDT, quare nimis sollicitè distinguere debeamus; cum ipse etiam Estius fateatur, ratione magis, quam re, differre: Quare nos dicimus potius, esse elegantissimum συναθροισμὸν, per quem tot nomina Sanctitatis congeruntur, ut ostendatur, nihil in omni sanctitate cogitari posse, quod in nostro Mediatore requisitum non fuerit, & in Christo inventum. Insuper Apostolus necessitatem talis Pontificis vocis ἐπρεπε ostendit, oriundam ex justitiâ Divinâ, quæ sine sanctissima & perfectissima satisfactione pro nobis, peccata nostra remittere non poterat. Unde vers. seq. 27. finem, ob quem obtinendum sanctitas necessaria fuit, addit, qui erat, ut non haberet opus pro se offerre, sed pro nobis tantum, & quidem satisfactoriè, quippe qui finis verus erat. Voluit igitur Apostolus requisita Pontificis nostri maximi describere, ad hunc finem obtinendum: quod si verò ad finem obtinendum requirebantur, ante finem esse debuerunt. V. GERHARDUS ad b. l. in comment. p. 175. & alii Interpretes.

§. 10. Plura testimonia non addo, cum plurima adhuc ex Scripturâ adduci possent. Nam ipse Christus Joh. VIII, 46. ait: Quis arguet me (convincere potest) de peccato, quocunq; scilicet? Et Joh. 14, 30. Princeps mundi hujus non habet in me quicquam, scil. ob ἀναμαρτησίαν. Et per os Davidis Psal. XL, 9. Scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, libentissimè, perfectissimè & absque defectu, & Legem tuam in medio cordis mei. Conf. Jes. L, 5. Dicitur Hebr. 4, 15. tentatus in omnibus, sed sine peccato. 1. Petr. 1, 19. vocatur Agnus ἀμωμος ἡ ἀσπιλος, immaculatus & inconta-

contaminatus. Johannes 1. Ep. 3, 5. *Apparuit, ut peccata nostra tolleretur, & peccatum in eo non est.* Appellatur Actor. 13, 14. *Sanctus & justus.* Sanguis ejus 1. Joh. 1, 7. dicitur *Sanguis Filii Dei, emundans nos ab omni peccato.* Christus perhibetur Hebr. X, 10. *oblatione corporis sui semel peracta, vers. 14. unica προσφορά perfectos effecisse in perpetuum eos qui sanctificantur.* Hebr. 9, 11. *Pontifex futurorum bonorum, & 14. qui se ipsum obtulit immaculatum DEO.* Præfiguratus à sacrificiis V. T. quæ munda & sine labe esse debebant. Rom. 8, 3. dicitur missus *ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἀμαρτίας, sub specie carnis peccato obnoxia:* Nam ὁμοίωμα non ad carnem, sed ad determinationem adjectam τῆς ἀμαρτίας pertinet, nec excludit naturæ humanæ veritatem, sed peccati foeditatem, ut sensus sit, quod caro Christi similis quidem carni peccatrici, non tamen peccatrix fuerit. Taceo publicas de innocentia ejus testimoniationes, in historiâ passionis decem distinctis vicibus, ab amicis & inimicis, præbitas: aliaq; plura ἀναμαρτησίας in hæsiuæ documenta & argumenta, passim in Scripturâ obvia.

§. II. Non solummodo autem ἀναμαρτησία & perfectissima Sanctitas atq; justitia Humanæ Christi Naturæ competit; sed etiam *impeccabilitas omnimoda*, ita, ut non potuerit peccare. Idq; allegata testimonia pleraq; inferunt. Nam (α) *peccatum non nosse*, præter actum & habitum peccandi, etiam potentiam negat: Adeò ut *nosse* hoc l. etiam pro *posse* accipi queat, uti Ies. LVI, II. Matth. 7, II. ubi D. LUTHERUS reddit per *fönnen*. Egregiè CHRYSOSTOMUS in h. l. T. 4. f. 282. *Qualis sermo, quæ mens ista commendare poterit? Justum enim, inquit, fecit peccatorem, ut peccatores faceret justos. Imò neq; sic dixit, sed quod multò majus erat; non enim qualitatem posuit, sed substantiam (non habitum posuit, sed qualitatem) non dixit peccatorem, sed peccatum: Non eum, qui non peccavit solum, sed & eum qui nescivit peccatum, non dixit justum, sed justitia, & justitia Dei: Dei enim est ista, quando non ex operibus, quando necessarium est, etiam maculam nullam inveniri, sed à gratia justificatio fit. Hinc omne peccatum evanescit.* Malè Interpres, sive Fr. Arretinus, sive alius, reddidit *Substantiam*: Nam in Græco est: *ὁ γὰρ ἔξιν ἔθηκεν, ἀλλ' αὐτὴν τὴν ποιότητα.*

ἔ γὰρ εἶπεν, ἐποίησεν ἁμαρτωλὸν, ἀλλ' ἁμαρτίαν. Sed ne sic accurate videtur positum: nam ἕξις est ποιότης. Intelligit igitur per ἕξιν, *concretum*, justum & peccatorem, per ποιότητα *abstractum*, justitiam & peccatum. Hinc *A. Doumaus* in notis col. 329. mavult μέτεξιν substituere ex 1. Met. Arist. c. 6. In præcedentibus ait *Chrysostomus*: Ποῖον δὴ τῆτο; τὸν μὴ γνόντα, Φησὶ, τὸν αὐτοδικαιοσύνην ὄντα, ἁμαρτίαν ἐποίησε. Τῆτέξιν, ὡς ἁμαρτωλὸν κατακριτῆνα ἀφῆκεν, ὡς ἐπικατάρατον ἀποθανεῖν. (β) *Qvi Sanctitas sanctitatum*, id est, omnium sanctissimus est; ille nec vel minima peccati labe infectus esse potest, adeoque singulari præ aliis sanctitate præditus est. *Sanctum esse*, juxta *Bohlium* formaliter significat, *separatum esse ab usu communi ad usum quendam specialem*, disp. 1. pro form. th. 4. Christus itaque; dum non *sanctus tantum*, sed *sanctus sanctorum*, imò *sanctitas sanctitatum* appellatur, singulari sanctitate, & ab omnibus sanctis separatus esse dicitur, cum quadam prærogativâ, quam scilicet præ Adamo sancto habet. (γ) *Qvi sanctus nascitur*, & per conceptionem, vi originis massæ sanctissimæ, sanctus est, in eò non peccatum, imò ne potentia quidem peccandi locum habere potest: nam ἐπίλευσις Spiritus Sancti, semen mulieris segregantis, purificantis, ac sanctificantis, peccatum in materiâ circa quam non modò excludit, sed penitus tollit. (δ) *Qvi homo nascitur Filius Dei*, id est, per unionem personalem Deus & Homo est, omnimoda impeccabilitate sanctus est: nam Deum peccare posse, blasphemum ac impium est dicere; Deum autem uniri cum naturâ labili, aut sanctitatem infinitam cum peccato, aut potentiâ peccandi, impossibile est, siquidem qui corpus peccatis obnoxium mysticè non inhabitat, multo minus personaliter & περιχωρήσει inhabitabit. Peccatum aversionem à Deo importat; quæ verò ea natura, quæ hypostaticè unita est Verbo Dei, & unam cum eo hypostasim constituit, averti posset à Verbo Dei, vel à Deo; per apostasian, vel prævaricationem, aut inclinationem ad peccandum? (ε) *Qvi infinite sanctus est*, ille omnis prorsus peccati, omnisque ad id inclinationis, & potentiæ peccandi expers est. Non enim conveniunt, Spiritum sanctum, & immensa ejus dona,

in quibus etiam sanctitas & iustitia immensa est, accepisse ἀμάρταν & non ad mensuram, Joh. 3, 34. & in peccatum proclivem esse, aut posse peccare. Divina & infinita Majestas atque sanctitas Christo homini communicata, & potentia peccandi vel non obediendi in eodem subjecto simul non consistunt. (2) Qui ideo ἀναμάρτητος existit, ut pro peccatis, ut Sacerdos unicus ac Mediator satisfaciatur, nullo modo de peccato participare potest, aut facultate peccandi pollere: Nam qui peccare potest, Mediator esse non potest. Contrariantur, peccati poenas solvere posse ac debere, & mereri eas posse: oblatione corporis sui nos sanctificare, & in sanctitate consummare, & sanctificationis indignum esse. Christo igitur ἀναμάρτησία omnimoda rectè tribuitur, & ab eò omnis peccati, tam originalis, quam actualis, labes, & ipsa peccabilitas i. e. indifferentia ad peccandum & non peccandum, utpote quæ hominis imperfectio post lapsum & defectus est, excluditur, adeoque sanctitas illi perfectissima competit, in quâ nullus hominum, aut Angelorum, ac ne ipse Deus quidem desiderare aliquid possit. DAMASCENUS lib. 3. O. Fid. c. 1. *Eum qui redempturus erat, ἀναμάρτητον εἶναι, oportebat prorsus esse peccantia immunem, & per peccatum non esse morti obnoxium, ut Jac. Faber Stap. reddit. Cap. 13. Καὶ πάντα ἔχει, ὅσα ὁ Ἀδὰμ ὁ πρῶτος, διχαμόνης ἀμαρτίας, sola excepta peccantia. Addit Jod. Clichtoveus in Comment. p. 217. id est, peccandi facultate, potestateque prolabendi in deterius, si modò ea potestas, & non potius infirmitas dicenda sit. Quam quidam peccantiam sive peccabilitatem Adam habuit in primâ suæ naturæ conditione. --- Hujusmodi autem peccantia nequaquam fuit in Domino nostro. Nam non modò peccatum non fecit --- sed etiam nec peccatum facere potuit. Quo enim pacto posset in Deum peccatum cadere, aut quæ conventio lucis ad tenebras? aut quâ ratione valeret summa bonitati hypostaticè unita caro ad malitiam decumbere? Quare comprimant ora sua operæ pretium est, & majore post hac pietatè religioneque loquantur, qui postulant & sibi petunt admitti, quod Verbum Dei assumat naturam peccantem aut peccatricem, quæ aut labem peccati contraxerit, aut contrahere possit. Non enim minus absurda est petitio, atque si quis efflagitet summæ*

luci & immense tenebrarum horrorem conjungi, aut summo calore frigus immisceri, quod ipsa rerum natura prorsus abhorret. Clamat namq; Apostolus, Christum tentatum per omnia &c. Et alibi in similitudinem carnis &c. In Christo autem nequaquam fuit caro peccati, sed caro, quæ salutaris est medicina contra peccatum, & oblata ad ipsius peccati destructionem & deletionem.

§. 12. Si causam ac fundamentum hujus omnimodæ in Christo Homine impeccabilitatis inquirimus, non ab omnibus idem datur atque asseritur. Nam sunt, qui hanc impeccabilitatem derivant ex massâ in lumbis Adami, à contagio præservata, & in posteros transfusâ; quò de commentò ac somnio scholasticò, jam supra §. 3. dictum est. Propius accedit VOETIUS part. 1. disp. select. de propag. Pec. Or. p. 115. verum & adæquatam impeccabilitatis Christi statuens principium, quod de substantia ac naturâ Adami, non autem de peccato ejus participarit. Vid. supra ejusdem verba §. 3. Quod licet verum sit, cum non in Adamo peccante Christus, ut omnes alii, qui vi benedictionis generalis nati & nascendi sunt, sed jam tum à peccatoribus separatus fuerit, cum primum secundum humanam naturam ex Patribus nascendus in lumbis Adami esse incipiebat; attamen proximum nondum est principium impeccabilitatis in Christo. Proxime itaque accedunt, qui fundamentum proximum collocant, partim in unione personali, & consequente unctione, partim in conceptione à Spiritu sancto, semen mulieris ab omni labe purificante: Idq; §. præcedente ostendimus breviter atque diduximus. *Unctio* quippe communicat sanctitatem ipsius Filii Dei, quæ omnem omninò peccandi facultatem excludit. *Unio personalis* jungit humanam divinæ naturæ, quo ipso illa à peccatis ita immunis facta est, ut peccare nullo modo potuerit. *Conceptio* autem, cum massam separatam ab omni peccati labe purgaverit, sanctissimam fecit humanam naturam. Ut hinc rectè concludat Theologus consummatissimus B. D. DORSCHHEUS in Pentecad. disp. 6. de Rapin. Div. Maj. §. 40. ult. *Unio personalis humane naturæ cum divina, vera & totalis causa est impeccabilitatis in Christo. Fuit Maria virgo, juxta ordinem, quem Scriptura aper-*

ra aperuit, ex immundo semine concepta. Ergò peccatum origi-
nis universam etiam substantiam Mariæ possederat. Ex hac verò
substantiâ, tanquam surculus ex radice Es. XI, 1. decerpta est huma-
na in Christo natura. Atqui ex illâ Mariæ animâ ita separatim
considerata nunquam fuisset aliqua anima propaganda, sicut nec ex
corpore, ita considerato, unquam corpus productum fuisset, nisi tum
ex supernaturali Spiritus S. operatione per infinitam Dei poten-
tiam ita producta fuissent. Sanè ergò hæc humana natura nun-
quam fuisset, si homo non peccasset. Itaq; quia Christus sec. bum.
nat, non erat in Adamo, tanquam homo, cursu naturali & semine
ordinato propagandus, non erat etiam in ipso, tanquam homo quis
alius ordine nature propagandus, reatui, ex peccato primo con-
tracto, cui rapina majestatis divine inerat, obligatus. Interim sub-
stantia, ex quâ humana natura fabricanda fuit, purganda fuit. Fa-
ctum hoc in ipsò unionis hypostaticæ actu, quo facta est humana na-
tura, & facta τῆ λογῆ ἐν ὑπόστατι & humana natura: ἁμα σὰρξ,
ἁμα λόγῳ σὰρξ, ut Damascenus ait. In hoc igitur actu concurrunt
ἁμεσ & πλάσις, θαυμασιος ἀγιασμός, & ἀρρήτ & ἐνώσις, quæ
tempore distingvi nequeunt. Hinc igitur purificatio substantiæ assum-
tæ è B. Virgine à peccaminosis maculis: hinc ejusdem in sanctissi-
mam substantiâ assumptio: hinc sanctitatis habitualis summæ infusio:
hinc sanctitatis infinitæ communicatio: hinc totalis impeccabilitas.
 Gradatim loquitur Vir profundissimus, principium propius ac
 proximum insinuans: incipiendo enim à conceptione, facit il-
 lam proximum ἀναμαρτησίας & impeccabilitatis principium,
 mediante autem illâ, unionem quoque personalem & unctionem
 principium impeccabilitatis constituit. Etenim, cum ἀναμαρ-
 τησία inhæsiva Naturæ humanæ proprietatis individualis sit, quæ
 cum λόγῳ personaliter unienda erat, ante unionem personalem
 omninò prærequisita fuit, adeoque, si non tempore, naturâ ta-
 men & ordine unione prior fuit. Ut hinc causa proxima & adæ-
 quata hujus impeccabilitatis sit Spiritus S. actio separans, & fe-
 men virgineum purificans, ex quâ immediatè dependet; accessit
 autem deinceps huic inhæsivæ, sanctitas λόγῳ infinita, per unio-
 nem personalem communicata. Eò respicere videtur AMBRO-
 SIUS

SIUS lib. 1. de Spir. S. c. 8. T. 2. p. 127. De eò Paulus scribit: *Qui peccatum non cognovit sed pro nobis peccatum factus est. Hoc quippe divinum in eò, quia caro peccatum non fecit, nec in eò suscepti corporis natura peccavit. Nam quid mirum si non peccavit sola divinitas, cum peccandi incentiva non habeat? si autem solus exors peccati Deus, omnis utiq; creatura per naturam sui, ut diximus, obnoxia potest esse peccato.*

§. 13. Errant igitur gravissimè (1) JUDÆI & ANTICHRISTIANI, qui merum illum hominem, ex parentibus peccaminosis natum, & ipsum peccatorem, imo seductorem, blasphemum, perduellem, magum, & bipedum nequissimum, blasphemum & olim, & nunc proclamant. (2) SCHOLASTICI, & quidem multipliciter, videlicet, carnem λόγος, priusquam conciperetur, peccato fuisse obligatam: Humanam Christi naturam, nisi fuisset in beatificâ visione, potuisse peccare: Unionem hypostaticam nullam habere repugnantiam cum peccato: λόγον potuisse assumere humanam naturam manentem in peccato: Christum, ut peccatorem potuisse damnari: Christum egisse pœnitentiam vivendo in desertò &c. Qvalia *Φορτικὰ ἀπισμοῦ* apud Lombardum, Scotum, Biel, Durandum, Molinam, Vasquez, Marsilium, Henr. Gandavensem, Joan. de Rada, & alios deprehenduntur, in quibus tamen non nulla tam monstrosa tamq̄ve impia sunt, ut ex ipsis Pontificiis Cordatiores judicent, eorum assertores, non argumentis, sed flammis coërcendos esse. (3.) Pseudo-Augustinus (nam quod liber Augustini non sit, varia ἀμαρτήματα probant) lib. qq. V. & N. T. qq. 74. Tom. 4. *Apostolus loquitur de personâ Dei Patris, qui eum, id est Christum, qui peccatum nesciebat, pro nobis peccatum fecit. Quod duplici modo intelligendum est. Primura enim fecit illum peccatum, dum incarnari illum voluit, ut, quem fors non tangebatur, de peccatrice carne corpus acciperet, per quod dicitur factus peccatum. Deinde dum offert eum pro peccatis, fecit illum peccatum. Hostia enim in lege pro peccatis oblata, peccatum nuncupabatur.* (4) REMONSTRANTES, Scholasticos excusantes, & novis hypothesis Christi impeccabilitatem oppugnantes, in quibus præcipuè Episcopus, in respons. ad defens. Camero-

Cameronis; argumenta sua desumit à naturâ Christi liberâ, tentatione, consolatione Angelicâ, nostrâ obedientiâ, & locis quibusdam scripturæ, sed à nostrò D. CALOVIO in Arminianismo p. 229. -- 238. solidè refutata. Confer. D. WALTHERUS & D. MAYERS in cit. Dispp. (5.) ENTHUSIASTÆ, qui Christum similem planè aliis hominibus censent, ex cohabitatione Josephi & Mariæ genitum, peccatis obnoxium, &c. Vid. *Zentgravius* in Colluv. Quaker. p. 18. sq. (6) AUGUSTINUS de Roma, Archiepiscopus Nazarenus, qui, quod Christus cum membris suis unum sit, non dubitavit asserere, eum quotidiè peccare, & ex quò fuit, Christum quotidie peccasse: ejus heterodoxia in Concilio Basiliensi Sess. 22. damnata est. (7.) PONTIFICII, qui impeccabilitatis rationem à Maria matre derivant, quam ideò peccati originalis expertem fuisse docent, ne ignominia matris in prolem redundet. Vid. THOMAS in sum. Th. part. 3. q. 27. art. 4. resp. & per tot. qv. Item *Bellarminus, Barbosa, Greg. de Valentia, &c.* B. Mar. Virg. à peccato orig. excipientes, imò & Johannem, & Jeremiam: contra quos disputant D. CALOVIVS T. 5. System. art. 5. c. 1. q. 1. CHAMIER T. 3. Panstrat. Cath. l. 5. c. 2 - 7. Item (8) WIGELIANI, si causam impeccabilitatis hanc dant, quod Maria in cælo cœperit, Christus merus Deus sit, ex substantiâ Spiritus S. productus &c. Vid. THUMMIUS Imp. Wigel. err. 35. 36. p. 87. (9.) PHOTINIANI, qui Christum per se purum & putum hominem esse credunt, fuisse vero deificatum & sublimi quadam potestate & sanctitate ita purificatum, ut & in se peccabilis esset, & exemplar sanctitatis aliis. Vid. DORSCHÉLLS c. 1. in Pentadecad. p. m. 249. & 250.

APHORISMUS IV.

Idem Adam secundus, qui inhæsiuè omnium fuit sanctissimus, imputatiuè omnium peccaminosissimus factus est, longeque major peccator, quam primus Adam fuit.

§. I. Ἀντιθέμενα propono de utroque Adamo, quorum ratio est, ut simul in eodem subjecto esse nequeant: nam in con-

E

trariis

trariis immediatis, alterò remoto, alterum necessario ponitur: & altero posito, alterum necessario removetur. Sed recte notant Logici, opposita in eodem subjecto simul esse non posse, secundum idem, in eodem tempore, & circa unam eandemque rem. Adam igitur primus sanctus & justus, idem & maximus peccator extitit; sed non eodem tempore. In statu integritatis, ante lapsum, integer, bonus, sanctus, justus is fuit, omnis omninò naturalis labis expers; idem post lapsum suum peccaminosam naturam contraxit, & maximus peccator extitit. CHRISTUS, *alter Adamus*, uno eodemque tempore quidem sanctus & peccator fuit; non tamen secundum idem, quia contraria, ex. g. Justitia, & injustitia, sanctitas & peccatum, non possunt eidem subjecto *ωσούτως* inesse. Nam *inbasivè*, respectu personæ, & naturarum, fuit sanctissimus, & absque omni peccatò: *Imputativè* verò, & respectu officii mediatorii, omni totius mundi peccato oneratus, adeoque maximus omnium peccator fuit. Spectatur itaque *alter Adamus* in præced. §. *in se ac per se*, ut est Dei & Mariæ Filius; hic autem consideratur *relate*, & in officio suo satisfactoriò, quatenus in judicio Dei, totum humanum genus lapsum repræsentat, & omnia omnium hominum peccata portat.

§. 2. Occasione enim peccati, idque ut tolleret, venisse Dei Filium in carnem, supra diximus: post lapsum demum primo Adamo promissum, ut hinc, licet ab eo originem habeat, neque quatenus lex eidem præscriberetur, neque quoad is legem transgrederetur, in lumbis ejus fuerit, non nascendus prorsus, si ille non peccasset. Ob peccatum ergò venit, ut tolleret, & pro eò plenè ac perfectè justitiæ Dei satisfaceret. Eleganter AUGUSTINVS serm. 9. de verb. Apost. T. 10. p. III. *Nulla causa veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est medicina causa.* Item AMBROSIVS lib. de incarn. sacram. c. 6. T. 3. p. 183. *Quæ erat causa incarnationis, nisi ut caro, quæ peccaverat, per se redimeretur? Quod peccaverat igitur, hoc redemptum est. Non est ergò immolata Divinitas Verbi, quia non peccaverat Divinitas Verbi: & ideo non est Verbi natura in carnis conversa naturam; quia immunis peccati* *divini*

divinitas, pro peccato, quod non fecerat, se non debebat offerre. Hoc enim in se obtulit Christus, quod induit: & induit, quod ante non habuit. -- Carnem assumpsit, ut spoliū carnis exueret, atq; in semetipso & manubias diaboli crucifigeret, & trophæa virtutis erigeret. Ubique in Scripturâ ratio incarnationis ex peccato assignatur, atqve ut primaria, proxima, & immediata illius causa redditur, generis humani à peccato, ejusq; pœna liberatio: adeo ut si homo in statu innocentiae perstitisset, & in peccatum prolapsus non fuisset, Filius Dei quoque in mundum haud venturus, & naturam humanam assumpturus fuisset. Loca Scripturæ, quæ pro hâc sententia allegari solent, potiora hæc sunt, Genes. III, 15. Matth. XIX, 11. c. XX, 28. Joh. III, 16. Gal. IV, 4, 5. I. Tim. I, 15. Hebr. II, 14, 15, 1. Joh. III, 5. Vid. QVENSTEDT. in Syst. part. 3. c. 3. m. 1. q. 1. p. 108 - 116. & qui ab eo ibi allegantur.

§. 3. Hæc eadem est ratio, ob quam D. Paulus *Adamum primum & secundum* sibi invicem opponit, Rom. V, 2. atqve illum causam peccati & mortis, hunc vero fontem justitiæ ac vitæ constituit. Sicut enim ex Adamo in omnes reatus redundavit ad condemnationem per unum delictum: ita ex Christo in omnes donum gratiæ redundavit ad justificationem vitæ per unam satisfactionem pro delicto. Notatu digna est Apostolica utriusque Adami comparatio, cujus initio disputationis hujus mentio facta; sed h. l. breviter tantum nobis tangenda. Comparat quidem Paulus primum & secundum Adamum etiam ut pares, nimirum uti veri sunt homines, & multis aliquid conferunt; attamen magis, ut dispares ac inæquales hoc capite proponere & exhibere voluit, ita tamen, ut primus à secundo in pluribus superetur. Fundamentum imparitatis consistit, partim in adjuncto utriusque, peccato scil. & gratia Dei; partim in virtutis peccati & gratiæ inæqualitate: nam illud ad mortificandum, hæc vero ad justitiam ac vitam, potenter in multos redundavit. Dispares itaque sunt *Adam primus & secundus a. in personâ*: nam *primus* merus homo, vers. 12. *secundus* Deus & Homo, Dominus noster, vers. 1. & 21. *β. in eò, quod conferunt*: nam *primus* peccatum, reatum, mortem, vers. 12. *secundus* gratiam Dei, donum gratiæ,

Justitiam, vitam confert. vers. 15, 16, 17, 18. γ. In merito, per quod conferunt: nam Adam per suum παράπτωμα καὶ παρακοήν vers. 15, 19. Christus vero per suum δικαίωμα, καὶ ὑπακοήν, vers. 18, 19. δ. In quos conferunt: Nam Adam in omnes homines. vers. 12, 18. Christus etiam in omnes, sed fide donum gratiæ accipientes vers. 17. ε. In modò, quò conferunt: nam Adam per participationem naturalem culpæ & reatus. vers. 12. Christus per χάρισμα, δωρεάν seu gratuitam donationem, vers. 12. quam c. 4. imputationem fidei vocat. ζ. In fine: : nam Adam confert peccatum εἰς κατάκριμα & condemnationem æternam, vs. 16. Christus vero εἰς δικαίωσιν ζωῆς, ad justificationem vitæ æternæ. vers. 18. Verum, cum hæc latius diducere hîc non liceat, ad interpretes Epist. ad Romanos Lectorem remitto.

§. 4. Finis igitur in mundum missi & incarnati Filii Dei, cum sit peccati abolitio, & peccatorum salvatio, 1. Tim. 1. 15. debuit utiq; is onus peccatorum ab hominibus auferre, & in se recipere ac transferre, illudque portare, tollere, & abjicere. Egre giè id locus noster Apostolicus II. Cor. V, 21. declarat, quando judicium Dei describit: *Deus eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Ubi verbum *facere* vel *feri* non significat inhærentis qualitatis efficientiam; sed æstimationem & imputationem, quâ Deus justissimus suo Filio, Mediatori inter Deum & homines constituto, peccata mundi adjudicavit, ac si essent propria. Idque ex antithesi (*ut nos efficeremur justitia Dei per illum:*) patet, quâ peccatores propter justitiam Christi fide apprehensam, æstimantur & censentur justitia Dei sive justii in Christo. Similis locutio occurrit Rom. 2, 25, 26. *Si transgressor legis fueris, circumcisio tua γέγυρε facta est præputium; si præputium justificationes legis servaverit, nonne præputium illius pro circumcissione λογισθήσεται reputabitur?* Sensus Apostoli est: Deum in suum Filium, qui omnium sanctissimus & innocentissimus fuit, absqve omni peccato & labe, peccati reum fecisse, omnia omnium hominum peccata ipsi imputasse, & simul omnes iræ suæ peccatis nostris debitæ cataractas effudisse, ut scilicet hac ratione justitiæ suæ satisfieri, & mundus ipsi reconciliari posset.

Ut adeò locùs hic clarè & apertè nobis causam edisserat, quare Christus, ut Agnus Dei, peccata mundi portet, Joh. 1, 29. & langviores ac dolores nostros bajulet. Ies. 53, 4. quia scilicet Deus Patet ipsi imputavit & reverà ei adjudicavit.

§. 5. Parallelus locus habetur Ies. LIII, 6. *Jehovah incurrere fecit in eum iniquitates omnium nostrorum.* Verbum הפגיע significat, *impegit occurrendo, occurrit & impegit in aliquem impellendo, animo hostili, animo perdendi,* Exod. 5, 3. Num. 35, 19. Ios. 8, 21. *Causa principalis incurrere faciens & transferens peccata nostra, est ipse Jehovah, qui veluti cum vi atque impetu, irruere vel occurrere ei fecit, & impingere fecit in ipsum omnium iniquitates. Subjectum recipiens, Dei Filius, à peccato exemptus: cum à genere humano peccatum auferatur, & in Christum transferatur, oportet hunc non aliquem ex hominibus peccato obnoxium, sed ejus expertem esse, id quod propheta vers. 9. affirmat. Culpa translata indigitatur cum latitudine, dum non quædam tantum culpa, sed omnis aberratio, omnis in viam pravam declinatio, omnis iniquitas, id est, quicquid omninò peccati rationem habet, translatum à Domino dicitur. Modum translationis phrasia Jesaiana ostendit, factam eam esse, tum ratione imputatæ culpæ, quod in judicio Dei illi omnia omninò peccata imputata sunt; tum ratione exantlatæ pœnæ, quod nostri loco pœnâ sustinere debuerit. Ubi autem peccatum ita conjicitur in aliquem, ut pœna ejusdem, in ipsum conjiciatur, eique perferenda sit, tum utiq; culpa eidem imputatur. Quicumq; à culpa omni immunis est, & nihilominus tractatur ut culpæ noxius, eidem oportet alienam culpam imputatam esse; cum salvâ justitia divina nemo affligi, aut pœna affici possit, nisi vel ob propriam, vel ob alienam sibi imputatam culpam. De Christo autem Propheta prius disertè asserit. V. in h. l. B. CALOVII in Bibl. Illustr. p. 262. & in Socin. prof. de satisf. Chr. Controv. 5. p. 404, 405, 407. seq.*

§. 6. Huc quoq; spectat Typus V. T. ex Lev. XVI, 10, 21. seq. *Hircus nempe emissarius, LXX. ἀποσπαραγίος, i. e. malorum depulsor, quod peccata, malorum omnium causam auferret. D. Er. Marbachio Hircus AZAZel videtur nomen suum habere ab AZ,*

quod est capra, & *Azal*, quod est abiit, abripuit, abstulit: Quod ei tribuatur non tantum ideò, quod in desertum emittitur, sed etiam quod populi peccata secum abripit, typicè scilicet. Moses disertè narrat, quod summus Sacerdos *super eum projecit omnes pravitates*: in Hebræo est *והטיל עליו* *projicere faciet, reum peccatorum statuet, faciet*: nam *הטיל* h.l. est *conjicere, projicere*, uti *Jer. 50, 15. Zach. 1, 21. Oleaster* ad h. l. cum significat, ait, *confiteri*, propriè significat confessionem laudis, non peccati. Addit: *Convenit hoc intentioni Dei, quæ erat, pœnas in hircum transferre. Non peccata, sed pœnas tantum portare potuit hic hircus. Et pœnas tantum nostras portavit Christus.* Imò & pœnas, & peccata; unde in utroque Hircus ille typus fuit. Præcipit enim Deus, ut Sacerdos impositis hirco manibus, summam totius populi peccata in eum conjiciat & ei imputet, eorumque maledictionem capiti ejus imprecetur, atque sic illum, ut *κάθαρμα & περίσχημα* pro toto populo, per hominem paratum in desertum mittat, ubi à feris bestiis dilaceretur & discerpatur. *Rabbini*, quorum testimonia *Dn. Frischmuthius* adducit, de hoc ritu expressè scribunt, per *χειροθεσίαν* peccata hirci capiti simpliciter imposita fuisse. Verba *Mosis & Jesaiæ* ita sibi respondent, ut appareat, typo antitypum sic respondisse. Conf. *Lev. 16, 21. & Ies. 53, 6. Illic v. 22. hic v. 4.* Respexit quoque illuc *Iohannes 1, 29.* Vid. *Hackspanius ad Jesai in notis Phil. p. 670. & Frischmuth in disp. 2. de Hirco Emiss. & infra Cornelius à Lapide §. 11. allegatus.*

§. 7. Patet hæc imputatio peccatorum in Christo facta, ex pluribus aliis Scripturæ locis, clarè docentibus, culpam peccatorum nostrorum in Christum sponsoem translatum, eumque nostri loco substitutum & surrogatum, atque mundi peccata in eò vindicata esse, ita ut passio & mors Christi pœna vicaria ac satisfactoria pro peccatis nostris fuerit. Nam S. Scriptura Christo dilucidè peccata attribuit, *Psalm. LXIX, 6. Deus, inquit Messias, tu nosti stoliditatem meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.* Et *vers. 5. Quæ non rapui, exolvi.* Expers enim cum fuerit peccatorum, oportet eidem assignata esse *λογιστικῶς & χειρικῶς*, quatenus ut sponsor in se eadem suscepit. *Rom. 8, 3. dicitur Deus*
corp
condem-

*condemnavisse peccatum in carne Christi: scilicet alienum, quod ipsi imputatum erat. 1. Petr. II, 24. dicitur Christus peccata nostra ipse pertulisse in corpore suo super lignum: Ubi ἀνήνευκεν sustulit, elevavit, sursum tulit. Ita Ioh. I, 29. Agnus ἀίρων, tollens, portans: ubi præsens simul actum continuum ac perpetuum indicat, tollens scil. peccatum omne omnium hominum & omnium temporum, præteritum, præsens, & futurum. Portatio delictorum etiam, Ies. LIII, 4. II. 12. Hebr. IX, 28. ipsi tribuitur. Coloss. 2, 14. *Chirographum, nobis contrarium, ἦρκεν sustulit è medio, affixum cruci.* FLACIUS in Clav. Voc. *perfero* adhibet simile de carnifice, qui reum suspendendum in cruce elevat, quem quasi in tergo gestat; & addit col. 903. *cum impii Christum in crucem exaltarunt, sublevarunt, aut affixerunt, tum ille, ipsis non cernentibus, alios quosdam scelestissimos reos patibulo suffixit, nempe peccatum, aut injustitiam, diabolum, mortem, infernum, veterem Adamum, mundum.* Similia habet in Gloss. comp. sup. 1. Petr. 2, 24. p. m. 1237. conf. ad Ioh. I, 29. p. 345. Hanc imputationem evincit quoque causa passionis Christi meritoria, quæ non alia, nisi mundi peccata, docente Scriptura Ies. 53, 5. Rom. IV, 25. c. 8, 3. 1 Cor. XV, 3. Hebr. X, 25. necesse ergo est, Christo hæc imputata fuisse. Plura vid. ap. B. D. CALOVII *Min Socinism. profl. de Off. Christi art. 2. tit. 3. contrav. 5. p. m. 404. & contrav. 4.* ubi latè probat, Christum in locum generis humani substitutum ac surrogatum fuisse, ex Matt. XX, 28. 2. Cor. V. 14, 15. Rom. V, 5. seqq. 1. Petr. 3, 18. Ioh. XI, 50. &c. præpositiones ὑπὲρ & ἀντὶ inter alia urgens.*

§. 8. Tota igitur S. Scriptura cum tam clarè ac disertè hanc peccatorum imputationem tradat, mirum est, à quoquam hominum negari posse, eam realem ac veram esse. Quamvis enim ratio humana obstupescat, innocenti peccata aliena, eorumque debitas pœnas imputari; sufficit tamen, sacras literas id apertè asserere, ejusque rei fundamentum quoque suppeditare. Nimirum, cum *imputatio* alia *simplex*, alia *permutatoria* sit: *Illa* quidem, quando subjectum ipsum in se spectatur, & ita de ipso, pro ut in se est vel esse videtur, æstimatio instituitur: *Hec* verò, quando à iudice consideratione subjecti vel personæ attenditur, non quid
in se

in se boni vel mali ea habeat, sed quid acceperit ab alio: Sanè fatendum est, in humanis, quidem judiciis, in primis in causis criminalibus, hanc permutatoriam locum non habere, quia contra justitiam est, alteri sine culpa pœnam imputare, alterum, impunè dimittere, juxta Ezech. 18, 20. attamen in admirandò illo justitiæ & misericordiæ divinæ temperamento locum habere potest, imò habuit, juxta Psal 69, 5. *Simplex* est imputatio *secundum debitum*, quia habet & respicit fundamentum in ipsò operante, cui fit imputatio; *Alterà* verò non habet nec respicit fundamentum in eò, cui fit, sed *secundum gratiam* fit, cujus ratione ac respectu imputatio contingit. Itaq; in hac permutatoriâ fundamentum quidem *proprium* in eò, cui imputatur, nullum datur; datur interim *alienum*, omninò necessarium. Nam, ut actu ipso alicui in individuò, salvâ Dei justitiâ, alterius obedientia vel peccatum adjudicari possit, fundamentum aliquod relationis hujus, etiam in ipsò subjecto vel individuo, cui imputatio fit, requiritur, : licet non ex ipsò subjecto ortum, sed gratiosè eidem collatum. Ita, quemadmodum imputatio justitiæ nobis confertendæ in unione spirituali fidei fundatur, qua ipsius Mediatoris caro reddimur per insitionem in ipsum: Sic imputatio peccati Christo sponsori facta fundatur in unione personali, & voluntaria susceptione. Homo enim factus Filius Dei, non tantum noster *Frater* ob assumptionem nostræ naturæ, sed etiam *Vas & Sponsor noster*, ob mediatorii officii susceptionem fieri voluit, adeoq; in nostri locum succedere, nostra peccata in se sulcipere, & mortem pro iis subire. Unde, licet ipsi peccata non insint per modum inhærentiæ; insunt tamen eidem per voluntarium ac gratiosum assumptionis modum. Imputari igitur Christo aliena peccata possunt, quia ultrò sese pro nobis vadem stitit, ut patet Matt. 20, 28. 1. Tim. 2, 1. 6. atq; hoc *vadimonium* seu *fidejussio* vera causa est ac fundamentum, cur culpa & pœna generis humani in eum transferatur, eiq; verè imputetur. Ob hanc causam ipse debebat, quod nos debebamus: Quia in vadimonio debitor & sponsor censentur quasi una persona. Nec inconueniens esse, inson-tem pro eo, qui nocens est, se vadem constituere, exemplo Pauli constat,

constat,

constat, Onesimi debitum & culpam sibi imputari petentis, ad Phil. v. 18. neque injustum esse, patet, cum Judex à sponfore jure solutionem exigat. In nostro loco utraqve imputatio continetur. Quàm verè imputatio peccati & imputatio justitiæ sibi opponuntur: tam verè sequitur, Christo peccatum nostrum, nobis justitiam Christi revera imputari. Quam verè & realiter Christus passus ac mortuus est, tam verè ac realiter ei nostra peccata imputata sunt. Deus enim, quia justissimus est, neminem punit, nisi precedente pœnæ merito, videlicet peccato; hoc autem quia Christus non habet *inbesive*, in se enim est sanctissimus, innocens, & incontaminatus; sequitur, quod habeat *imputativè*, ita ut propter aliena peccata, quæ ut sponsor voluntarie in se suscepit, reputetur à Deo peccator, & quidem verè, quia falsò judicare Deus nequit. Quàm verè Victima in V. T. reputabatur peccasse, tametsi subjectum esset peccati planè *ἀδελτεν*, atque ideò pœnas luebat, quas peccatores, pro quibus sacrificium offerebatur, debebant luere: tam vere Christus peccator reputatus est in rigido Dei judicio, per imputationem nempe permutatoriam, quâ ipsi Deus luenda peccata nostra imputavit, non secus, ac si essent propria. Quam verum est Dei Judicium, tam vera etiam est, quæ in judicio divino fit, imputatio: tam justa etiam, quia legi & justitiæ divinæ satisficit, ab eò, qui pro alio solvit. Conf. B. CALOVIIUM c. l. p. 405. HOFFNERUM de justific. disput. 1. aphor. 8. & disput. 10. aphor. 2. §. 17. 18. 22. pag. 377. seqq.

§. 9. Ex dictis jam abundè constat, Christum esse imputativè, verè tamen ac realiter in divino judicio peccatorem, & quidem maximum, etiam *Adamo primò* majorem: nam (1.) *Christus, Agnus Dei, totius mundi peccata portat, etiam primi Adami*; Onus tale, cui ferendo par nulla creatura fuit, quia nemo justitiæ divinæ infinitæ satisfacere potuit. Maximus fuit peccator Adamus ob unum peccatum; idqve maximum, atque gravissimum; major illò fuit is, qui & hoc unius hominis, & omnium hominum maxima & minima in se luenda peccata suscepit, & portavit. Maximus fuit peccator Adamus, unicâ numerò transgressio-

gressione omnes suos posteros, tum culpæ, tum reatui & poenæ implicando; major vero illô Christus Adami ac posterorum omnium culpam, reatum ac poenam in se derivando. Qui ὑπὲρ πάντων unus pro omnibus mortuus est, 2. Cor. V, 15. ὑπὲρ πάντων pro omni gustavit mortem, Hebr. II, 9. mundi peccatum tollit Joh. I, 29. omnium nostrum iniquitatem imputatam portat, Jesai. LIII, 6 dedit animam suam redemptionis pretium pro multis, Matth. XX, 28. pro nobis omnibus in mortem traditus, Rom. VIII, 32. semetipsum dedit pretium redemptionis ὑπὲρ πάντων pro omnibus, 1. Tim. 2, 6. & propitiatio factus est pro peccatis nostris, non pro nostris aut tantum, sed etiam pro totius mundi, 1. Ioh. 2, 1, 2. is non unius, nec multorum tantum, nec unius populi, sed hominum omnium ac singulorum, qui fuerunt, sunt, & erunt, peccata, omnia & singula, & quicquid ἀνομιᾶς est, in se recepit, sibiqve appropriata & imputata sustulit, perfectissimoqve ac sufficientissimo lytro persolvit. Unus verò & solus is est JESUS CHRISTUS, fidelissimus noster Redemptor, hōc qve ipsô maximus mundi peccator, totius mundi peccatum ferendo, in mundo extitit.

§. 10. Patet (2) ex disertâ appellatione, in nostro loco 2. Cor. 5, 21. Paulus enim expressè dicit, Christum pro nobis factum esse peccatum, abstracto usus pro concretô, ut voce peccatû innueret, æstimatum esse à Deo pro omnium pessimo & maximo peccatore: sicut figuratè scelus, dicitur homo scelestissimus, & Justitia, homo justissimus. Sunt quidem Interpretes non pauci, qui vocem peccatum h. l. exponunt per victimam peccati, ex Hebræorum idiotismo, quo nomen כֹּסֵף & זָבַח accipitur pro hostia peccati, ut Levit. 7, 2. Exod. 29, 14. Hose. 4, 8. &c. faciuntqve huic locum parallelum Jesai. 53, 10. ponet כֹּסֵף animam suam. Ita intelligunt h. l. vocem Augustinus lib. de pecc. orig. cap. 32. & lib. 3. contra 2. epp. Pelagianorum cap. 6. & in Enchirid. ad Laurent cap. 41. & lib. 2. cont. Maxent. cap. 2. & epist. 120. ad Honoratum cap. 30. & serm. 48. de verb. Dom. T. 10. col. 183. & serm. 6. de verb. Apost. c. 278. & lib. adv. Faustum cap. 14. Ambrosius ad b. l. p. 304. & in c. 5. Hebr. p. 438. T. 5. item in Psalm. 118. serm. 6.

p. 635. Pelagius, Primasius, Sedulius, Haymo, Lombardus, Thomas, & alii veterum, nostrates Aegid. Hunnius ad h. l. B. D. Balduinus Comment. in h. l. p. 460. D. Weirichius Explic. ep. p. 241. Cluverus, Muthesius & c. Item Junius & Tremellius, Aretius, Gualtherus, Corn. à Lapide, & c. Erasmus h. l. p. 164. Prius peccatum est admissum, posterius est hostia destinata expiando peccato. Mirum cur Faber tam sollicitus sit, ne quis intelligat Christum peccasse, quum ex his verbis is sensus nullo pacto possit accipi, eum qui non nocerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Non enim dixit, Peccatorem fecit, sed Peccatum: hoc est, voluit pati supplicium, perinde quasi peccasset omnia, quum solus nihil peccasset: ut peccatum accipias hostiam, quae pro expiando peccato solet immolari: sicuti legimus, Peccata populi comedent. Ita fermè scholia Graecanica. P. SLEVOGIUS disp. Acad. n. 39. disp. Phil. 5. de Hellenist. § 9 p. 1034. Non novum hoc est aut insolens in Philologiis, ut vox aliqua in una significatione vix semel, in alterâ autem aliâs semper ab Autore usurpetur, atq; ita usuetiam venisse voci à propriis doctissimi Interpretum volunt, ut quum in toto Nov. Testam. peccatum significet, tantum 2. Cor. 5, 21. pro hostia expiandi peccati ponatur. Sunt tamen non pauciores, qui vocem h. l. metonymicè exponunt pro summo peccatore, ita ut prior notet vitiositatem in natura, vel actiones formaliter inhærentes, & peccatorem iræ divinæ reum & pœnis obnoxium reddentes: posterior autem vox peccatum non quidem formaliter inhærens, sed imputatum, cum reatu & pœnis, illam peccati alieni imputationem consequentibus. Sic intelligunt CHRYSOSTOMUS, cujus verba supra allegata aph. 3. §. 11. AMBROSIUS lib. de incarn. sacramento c. 6. p. 183. Quod si secundum literam vos tenetis, ut putetis ex eò, quod scriptum est, quod Verbum caro factum est, Verbum Dei in carnem esse conversum: nunquid negatis scriptum esse de Domino, quia peccatum non fecit, sed peccatum factus est? Ergo in peccatum conversus est Dominus? Non ita: sed quia peccata nostra suscepit, peccatum dictus est. Nam & maledictum dictus est Dominus: non quia in maledictum conversus est Dominus, sed quia nostrum suscepit ipse maledictum. Maledictus enim, inquit, qui pendet in ligno. Miraris ergo, quia scri-

scriptum est: Verbum caro factum est, cum caro assumpta sit à Deo verbo, quando de peccatò, quod non habuit, scriptum est, quia peccatum factus est? Hoc est, non naturam operationemq; peccati, utpote in similitudinem carnis peccati factus, sed ut peccatum nostrum in suâ carne crucifigeret, susceptionem pro nobis, infirmitatem obnoxii jam corporis peccati carnalis assumpsit. -- Aliud est enim, quod assumpsit, & aliud, quod assumptum est. OECUMENIUS & THEOPHYLACTUS, cujus verba B. Calovius, annot. ad h. l. allegat. AUGUSTINI verba huc quoq; adducuntur ex c. 41. Enchirid. ad Laur. T. 3. col. 167. Ipse peccatum, ut nos Justitia: nec nostra, sed Dei: nec in nobis, sed in ipsò: sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum: nec in se, sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati, in quâ crucifixus est, demonstravit. Quæ Calixtus h. l. ita exponit p. 146. Nempe vult, Christum factum esse peccatum ex nostrorum omnium peccatis ipsi imputatis, sicut etiam nos in ipsò sumus Justitia, scilicet ex imputatione. Ut igitur in illò nos sumus Justitia: Ita ille in nobis est peccatum. Beza ad h. l. Etsi peccatum interdum vocatur victima, tamen ratio antithesis postit, ut potius Christus dicatur factus esse Peccatum pro nobis, i. e. Peccator, non in sese, sed ex omniũ nostrorũ peccatorũ reatu ipsi imputato: cujus rei figura fuit bircus ille geminus Lev. 16. & ita rectissime intelligendum esse hunc locum ferè disertè docet Augustinus in Enchir. c. 41. Noster B. D. CALOVIUS in Bibl. Illustr. h. l. p. 470. seq. Factus autem à Deo peccatum, i. e. peccator κατ' ἀντροπονίαν, & ἐμψάσεως causâ, positò abstracto pro concreto, peccato pro summo peccatore, extremè scelerato, uti solet extremè sceleratus in abstracto scelus dici. Ratio est: quia quicquid peccati est, ipsi imputatum est, in Judicio divino, ratione culpa partier ac pœne. Et THEOD. THUMMIUS Imp. Photin. artic. de justic. p. 498. Christus factus est pro nobis peccatum, i. e. insignis peccator (Abstractum enim loco concreti positum significationem adauget) per imputationem, vi textus Esai. 53, 3, 6. & v. 12. GROTIUS quoq; vocem ita capit: Fecit peccatorem, id est, tanquam peccatorem, sed, dum voc. ως subaudiendam vult; sensum pervertit, addendo & ingerendo quicquam Scripturæ. Nec enim, inquit B. Calo-

Galovius c. l. *Justitia divina congruit, quatenus, ut peccatorem tractare, qui & propriam vacat culpam, nec alienam culpam in se suscipit. Adde, quod peccatum Deus fecerit Christum, uti maledictum ipse factus est; nimirum ὑπὲρ ἡμῶν pro nobis, id est, nostri loco. Gal. III. 13. In nostri ergo locum illum surrogavit, tum peccatum nostrum ipsi imputando; tum maledictioni eundem subjiciendo. Factus est peccator omnium sceleratissimus, quia peccati totius mundi reus in iudicio Dei habitus, non ergo tantum, ut peccator tractatus est, sed poenam peccatorum mundi luit. Conf. VARENIUS in Iesai. part. 3 or. 6. p. m. 315. Agnoscunt etiam Pontificii Interpretes, Justinianus, Cornelius à Lapide, Estius. &c. Christum factum dici peccatum sentu imputationis. Conf. Mart. Becanum Theol. Schol. part. 2. tr. 2. c. 8. ubi probat q. 2. & 3. Poenam satisfactoriam necessario supponere culpam, non tamen semper in illo, qui poenam patitur. Poenam satisfactoriam posse aliquem puniri pro peccato alterius, sine sua culpa.*

§. II. *Quamvis verò non multum intersit, siue peccatum h. l. accipiamus pro peccatore, siue pro hostia expiandi peccati; Siquidem denominationis fundamentum, cur hostia peccatum dicitur, non aliud hinc est, quam quod hostiae peccatum imputatur, uti in hirco apopompæo manifestum est. Nam phraseos & metonymiae istius (ut ipse Cornelius à Lapide ad h. l. p. 365. b. vocem peccati pro sacrificio exponit) ratio haec est, quod in hostiam piacularem tota peccati poena, noxa, & ultio transcribatur, itaque in eandem peccatum ipsum transcribi & transponi videatur. Noxa enim caput nocens sequitur. Hujus rei symbolo solebat sacerdos hostiae manus imponere, illique peccata populi imprecari. Per manus enim significantur actiones & peccata, utpote quae manibus plerumque peraguntur, inquit Theodor. in Levit. c. 1. Manuum ergo impositio super victimam, & symbolum erat oblationis, & testimonium reatus in hostiam transacti, ut hostia fieret piaculum, itaque peccatum ipsum, id est, omne pondus poenam & vindictam peccati in se susciperet. Hoc modo in die solemnii expiationis Pontifex hirco emissario peccata totius populi imprecabatur, eumque deinde, quasi peccatis onustum, per certum hominem extra castra deducebat, & dimittebat.*

cebat, in desertum à feris devorandum. Non aliter noster *Hinnius* sententiam suam explicat: *Perspicuum est, peccati vocabulum juxta sylum Moysi significare, piaculum sive victimam pro peccato, ut sit sensus. Quamquam æternus filius Dei caro factus, omnis erat peccati immunis; tamen peccata totius mundi, Pater cælestis ei imposuit, illorumq; reatum in ipsum derivavit, & pro peccatis victimam fieri, h. e. crucifigi & mori voluit.* Unde *B. D. Hülsemannus* rectè monet, fundamentum reputandi hanc hostiam pro satisfactoria & adæqvata parti offendenti, necessariò ab imputatione accipiendum esse, adeoq; sensum eodem recidere, sive dicamus, Christum factum esse peccatum per luitionem ejus, seu per imputationem peccati. Utraque hinc expositio à quibusdam æqvè approbatur, *D. D. Georg Calixto* ad h. l. & qui eum sequitur, *Rauppio* p. 309. it. *Dav. Rungio* disp. 6. pag. 709. *Er. Schmidio* h. l. aliisque; utroq; enim modò imputatio infertur, quæ luitionis fundamentum est. Attamen præferenda magis est illa interpretatio, quæ Christus peccatum dicitur propter imputationem peccati alieni, etiam *B. Hülsemanni* judicio, & ipsius quoque *B. D. LUTHERI*, qui comment. in Galat. 3, 13. T. 4. J. Lat. f. 78. & T. 5. Witt. L. f. 351. b. *Quamquam ha sententia, inquit, rectè exponi possint hoc modò. Christus factus est maledictum, id est, hostia pro maledicto peccatorum, id est, pro peccato &c. Tamen magis placeat, si servetur propria significatio vocum, propter majorem emphasin. Quia cum peccator venit revera in notitiam sui, non solum sentit se peccatorem concretivè, seu adjectivè, sed etiam abstractivè seu substantivè, hoc est non solum videtur sibi calamitosus, sed ipsa calamitas, non solum peccator & maledictus, sed ipsum peccatum & maledictum. Ut & in Latinâ lingvâ, cum excellenter volumus aliquem significare scelestum, vocamus eum Scelus. Est enim maxima res portare peccatum, iram Dei, maledictionem, & mortem; quare homo ista seriò sentiens, ut Christus verè sensit, pro toto genere humano, fit planè ipsum peccatum, mors, maledictum. Conf. præcedentia ad h. v. 13. ubi passim hunc sensum graviter urget. Sed dicat aliquis: Valde absurdum & contumeliosum est, Filium Dei appellare peccatorem & maledictum. Respondeo: Si vis negare eum esse peccatorem & maledictum, negato etiã passum,*

PRIMI & SECUNDI.

passivum, crucifixum & mortuum. Non enim minus absurdum est dicere, Filium Dei (ut fides nostra confitetur & orat) crucifixum, pœnas peccati & mortis sustinuisse, quam peccatorem aut maledictum dicere. Si verò non est absurdum confiteri & credere Christum crucifixum inter latrones, neq; absurdum sit, eum dicere maledictum & peccatorem peccatorum. Certè non sunt inanes voces in Paulo. In summa oportet peccatum nostrum fieri Christi proprium peccatum aut in æternum peribimus --- Non debemus ista vocabula extenuare, sed relinquere in propriâ significatione; Deus enim non jocatur verbis, sed seriò loquitur, &c. Quamobrem, ut peccatum h. l. accipiatur pro insigni ac maximo aliquò peccatore, svadet (α) propria vocis significatio, abstractiva & emphatica, quam h. l. D. Lutherus servandam esse arbitratur: à quâ etiam recedendum non est, nisi urgeat necessitas. (β) ἀποδοῦς, ut nos fieremus justitia DEI in ipso: ut enim nos finis justitiæ, ita is factus est peccatum: at nos haud finis hostiæ pro acqvienda justitiâ, quem modum credentibus attribui non posse, ipsimet Pontificii fatentur. Nos redimur in Christo justitiâ, non quod solùm, ut justii habeamur, sed ut verè justitiâ ejus nobis imputetur, Rom. V, 19. c. X, 14. Phil. 3, 9. Per imputationem ergo peccatorum Christus peccatum dicitur. (γ) ἀντίθεσις, qui non novit, eum fecit Deus peccatum. Quâ enim ratione Christus negatur peccatum novisse, eâ ratione notatur peccatum factus per dispensationem divinam. At Christus peccatum novisse negatur per naturam, non ratione afflictionis & nocumenti solùm; sed ratione culpæ & reatus, quod eidem nullatenus per se obnoxius fuerit: Factus est peccatum (inquit B. CALOVIVS in Socinismo c. l. p. 409.) non tantum ratione nocumenti, ea patiēdo, quæ nobis incumbēbant, sed imprimis ratione culpæ & reatus eundem in se derivando, & ferendo. Vid. ibid. plura, & in Bibl Illustr. ad h. l. ubi quoq; Hülsemanni verba allegat: Convenientior certè est oppositio peccatoris, per imputationem alienorum peccatorum; & justii, per imputationem alienæ justitiæ, quàm hostiæ pro peccato, & justii.

§. 12. Patescit (3) ex divina aversatione, quâ Deus Pater suum Filium, ob peccata aliena, quæ susceperat, tantoperè aversatus est,

est, ut eum, omni jam auxilio atq; solatio destitutum, ipse derelinqueret, Matt. 27, 46. Marc. XV, 34. cujus derelictionis causam adducit summam Dei aversionem B. KONIGIUS in Theol. Posit. de Christi derelictione part. §. 328 *Quia enim, ait, omnia omnino omnium hominum peccata in se suscepit, non potuit non Pater celestis vi justitiæ suæ extremè odisse ipsum, tanquam κατὰ-παρ, & peccatorem, quos sol unquam vidit, omnium maximum.* Deus enim propter sanctitatem & justitiam suam, non potest non peccatum odisse & averſari; est enim ἀνεμία, quæ à lege naturæ & Scripturæ, unico normæ Symbolo, quæ voluntas divina est, aberrat: est deviatio atqve averſio à lineâ rectâ: rebellio, & crimen læsæ Majestatis divinæ Jesai. 1, 2. separatio à DEO, summo Bono, cap. 59, 2. offensio Dei, ob justæ voluntatis ejus in lege revelatæ læsionem, & maxima abominatio, Iob. 15, 16. Per peccatum DEI gratia amittitur, inhabitatio Spiritus S. præcluditur, quies conscientiæ turbatur. Vix dici potest, quanta sit peccati atrocitas atqve fœditas. Si autem vel unicum peccatum, ab homine proæreticè commissum tantum potest, quantum multa talia poterunt? Quantum omnia, in uno subjecto congregata? Vel unum peccatum non adeò grande magnum odium conciliare potest: quid grandia, eaque multa, imò omnia, non poterunt? Ex summa itaque Dei aversione colligimus summum peccatorem, & ideò summum, quia in se, quæ non fecit, maxima & minima peccata suscepit.

§. 13. Patet denique (4) *ex Passionis gravitate*, quæ tanta, tamqve immensa & intensa est, ut nemo eam fando exprimere queat. *Est enim* (inquit B. D. Königius c. l. §. 329.) *omnium maxima & gravissima; quia nemo unquam major peccator reputatus à Deo fuit, quàm Christus.* Peccati gravitas exasperat pœnam: Inde expœnæ & passionis gravitate atq; intensione, etiam gravitatem peccatorum, & ipsum peccatorem, æstimare atqve colligere licebit. *Ex magnitudine pretii æstimanda magnitudo delicti*, inquit Bernhardus: Addimus etiam peccatoris. Christus derivando in se totius peccata mundi, etiam omnes meritas pœnas simul in se recepit, exemplumqve dedit iræ divinæ, & pœnæ pro peccatis,

peccatis sibi imputatis omnium gravissimæ. Unde se Patribus paternè castigatis à Deo opponit Psal. 22, v. 2, 5, 6, 7. quia passio & pœna ipsius exemplariter & exquisitissimè sic dicta fuit, annexam habens maledictionem omnium maximam. Pluribus id ostendit passionis historia, quæ multiplices dolores ac cruciatus, animæ, corporis, omniumq; membrorum, internos & externos, & ipsas infernales pœnas verè sensisse Christum, docet, majores etiam, quam ullus unquam damnatorum in inferno experiri potest. Quid enim angorum & ἀδυναμίας concursus? quid instantissima calicis propositi deprecatio? quid sangvinei sudoris emissio? quid querela in cruce super derelictione? Nil certè aliud, quam certissimæ indicinæ, quibus Christus declaravit, se peccata totius mundi portare, & omnem Dei iram, Legis maledictionem, dolores infernales incomprehensibiles & ineffabiles, ipsamq; mortem spiritualem subire, ac sentire. Adeò grande malum peccatum est, ut quoq; propter aliena imputata, unigenito ac proprio Filio Deus non pepercit, Rom. 8. v. 32. Conf. Ps. 40. v. 13. Ubi Dominus conqueritur, *ipsum circumdedit passiones, quarum non sit numerus.* Item AUGUSTINUS lib. Medit. c. 6. 7. T. 9. & BERNHARDUS T. 2. Serm. de pass. Dom. & seq. libello de pass. D. & orationibus rythmicis. *O homo, ait Salvator, vide, quæ pro te patior. Non est dolor, sicut quo crucior: ad te clamo, qui pro te morior. Cum sit dolor tantus exterior, interior est planctus gravior, cum te tam ingratum experior.* Satis ex his constat magnitudo Peccatoris.

§. 14. Errant igitur (1) PONTIFICII, qui *sc.* doctrinam Lutheranam de imputatione, pro figmento humani cerebri habent; docent enim de imputatione nostra, esse illam nullius entitatis, & de Christi imputatione, quod ipsi peccata nostra non aliter imputata sint, quam metonymicè seu ratione effecti, i. e. pœnarum peccatis nostris debitarum. V. *Bellarminus lib. 2. de Justif. c. 2. & 10. [b.]* Idem ibidem scribit, Christum propriè peccatorem nominare, esse blasphemiam & sacrilegam impudentiam, toti S. Scripturæ repugnantem, Negat quoq; *Beccanus*, Christo ita imputari peccatum, ut ab eo peccator censei possit, Paulus certè in nostro loco non tropicè, sed propriè & emphaticè loquitur: unde minus illi dicunt, nec rem plenè & planè declarant, quando Christum peccatum dici volunt non nisi tropicè, quia sit hostia pro peccato, & quoad debitum satisfaciendi pro peccatis, quod sponte in se susceperit. (2.) SOCINIANI, qui *sc.* culpæ peccatorum nostrorum translationem in Christum negant, neque in ipsum

50 SYNCRISIS ADAMI PRIMI & SECUNDI.

ipsum transferri jure posse asserunt. Socinus certe scribit p. 3. de Servat. c. 10. Ego sanè non video, quid absurdius, aut iniquius dici, vel excogitari potuerit, quàm jure alicui posse aliena peccata imputari, licet is innocentissimus sit, præsertim si ad Christum id referatur. Confer. ejus prælect. Theol. c. 20. & Crellius resp. ad Hug. Grot. de satisf. Christi. [b] iidem negant, Christum nostro loco substitutum & surrogatum fuisse in passione & morte. V. Socinus part. 2. de Servat. Chr. c. 25. & prælect. Theol. c. 20. p. 124. Crellius resp. cont. Grotium p. 451. (3) PELAGIANI, P. ABAI LARDUS, RUPERTUS Tuitien- sis Abbas, SCOTUS & SCOTISTÆ, SOCINIANI, qui partim negant, Chri- stum occasione peccati, suscipiendi & luendi, in hunc mundum venisse: par- tim eum venturum fuisse, asserunt, etiamsi homo non peccasset. De Pela- gianis id scribit J. CASSIANUS Lib. 1. de incarn. Dom. c. 3. T. 2. p. m. 5. Confe- quens existimabant Pelagiani, ut si homo solitarius Jesus Christus sine peccato fuisset, omnes quosque homines sine Dei adjutorio esse possint -- cum idem utiq; ho- mo nisu atq; industria sua mereri possit, quod Christus studio ac labore meruisset. Quò factum est, ut in majorem quosque ac monstruosiore insaniam prorumpentes, dicerent, Dominum nostrum Jesum Christum hunc in mundum non ad præstan- dam humano generi redemptionem, sed ad præbendam bonorum actuum exempla venisse. Petri Abailardi nova suo tempore dogmata refutat Bernhardus Epist. 190. ad Innoc. P. T. 2. p. 80. seqq. ubi de eo scribit: Habemus in Franciâ nobis de veteri magistro theologum, qui ab incunte ætate sua in arte dialectica lusit, & nunc in Scripturis sanctis insanit. Olim damnata, & sopita dogmata, tam sua videlicet, quam aliena suscitare conatur, insuper & nova addit. Quò- dum omnium, quæ sunt in cælo sursum, & quæ in terrâ deorsum, nihil præter solum nescio quid nescire dignatur, ponit in cælum os suum & scrutatur alta Dei: rediensq; ad nos refert verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui &c. p. 82. b. K. Discat ergò diabolus non solum potestatem, sed & justam habuisse in homines, ut consequenter & hoc videat, venisse utiq; in carne Dei filium pro- pter liberandos homines. RUPERTUS ipse videatur lib. 3. de Gloriâ Fil. hom. c. 26. lib. 13. de glor. Trin. c. 19. 20. 21. & in Joh. c. 8. Item Job. DUNS, SCO- TUS, cum aëclis, comment. in 3. sent. dist. 7. q. 3. SPAREZ disp. 5. in 3. part. Thom. sect. 2. p. 138. Alexander Aletensis part. 3. q. 2. m. 13. ALBERTUS M. in 3. sent. dist. 20. 4. &c. SOCINUS in prælect. Theol. c. 10. n. 8. & disp. cont. Puc- cium p. 277. SMALCIUS cont. Franzium p. 530. & in refut. thesium Franz. p. 124. Filium Dei incarnandum fuisse, etiam sine lapsu hominis, docuit ANDR. OSIANDER in disp. 1550. d. 24. Octobr. habitâ, & tract. de imag. Dei; Vid. Wigandus de Oliandr. p. 23. seq. & Schlüsselburg. in catal. Hæret. lib. 6. p. 47. 48 & p. 119—132. In hanc etiam sententiam propendent, Zanchius in Hexaem. part. 3. lib. 3. c. 2. p. 879. Bucanus instit. Theol. Loc. 10. q. 3. p. 88. Polanus Syntagm. lib. 6. cap. 27. col. 2765. Hæc sufficiant hac vice, plura & elabora- tiora temporis angustia & festinatio haud permisit. CHRISTO autem, se- cundo Adamo, Primo & Ultimo, A & Ω, unico Servatori nostro, sit Laus & Gloria in Sempiterna Secula!



Je 3485

ULB Halle
007 375 441

3



Sb.

1017

M. C.







1

ORATIO IN AUGURALIS THEOLOGICA,

IN CRISIS

AMAMI PRIMI ET SE- CUNDI,

ne dicti II. Cor. V, 21. exhibens:

Quam
D. O. M. A.

TO VENERANDI COLLEGII THEOLOGICI,
A FRIDERICIANA HALLENSI,

PRÆSIDE

omè Reverendo, Amplissimo, ac Excellentissimo,

IOACH. JUSTO REITHAUPT,

OL. DOCTORE & PRO-
PUBL. SEMIN. THEOL. DIRECTORE,
LIARIO DUCAL. MAGDEBURGICO

gravissimo ac meritissimo,

*et Promotore suo ætatem devenerando,
Theologiâ Honoribus, Iuribus ac Privilegiis,
ritè consequendis,*

olenni disquisitioni exponet

FREDUS WEGNERUS;

NAS, Ecclesiastes Francofurtanus.

In Auditorio Publico Maj.

XX. Junii ANNO M. DC. XCIV.

Horis Ante- & Pomeridianis.

et TOBIAS SCHWARTZ, Typogr. F.